DISPUTATIO INAUGURALIS

De

TRANSITIONE ACTIONUM:

Quam,

DEO OPT. MAX. AUSPICE,

Permissu & Decreto

Amplissimi Jureconsultorum Ordinis,

PRÆSIDE

WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/

U. J. D. & Professore,

Pro summis in utroq; Jure privilegiis & honoribus impetrandis,

Ad diem Septemb:

Publico examini sistit

FRIDERICUS Korsey/

Gustrov. Meckelb.

TUBINGÆ,

Typis JOHAN: ALEXANDRI CELLI,

ANNO M. DC. LIII.

Magnifico, Nobilißimo, Amplißimo
& Consultißimo

DN. JACOBO Steinmann/
Serenissimi ac Potentissimi Regis
Daniæ Consiliario gravissimo, ejusdemque
Præfecturæ Steinburgensis Administratori fidelissimo.

Nec non

Plurimum Reverendo, Præclarißimo
atq; Excellentißimo,

DN. M. HENRICO Prengern/
Diœceseos Parchimensis & Sverinensis Superintendenti vigilantissimo.

Item

Nobili, Strenuo ac Excellentißimo,

DN. HENRICO Steinmann/ Capitaneo, Districtuum Heiligenstedensis & Crumdicensis Præfecto dignissimo.

Vt &

Admodum Reverendo, Clarißimo atq; Doctißimo,

DN. CHRISTIANO Prengern/ cœtus, qui Borsfleti in Stormaria colligitur, Pastori meritissimo.

Dnn. Cognatis, Avunculis, Patronis & Fautoribus suis, Parentis loco honorandis, colendis.

Theses has Inaugurales

Debitæ observantiæ testandæ causa

submisse offert & inscribit

AUTHOR.

Quod Deus bene vertat!

PROOEMIUM.



EA plerumq; hominum eſſe ſolet malitia atq; improbitas, ut non facile idipſum, quod aliis debent, ultro & bona cum gratia præſtent reſtituantq; : ſed haud rarò pro beneficio, quod acceperunt, reddant moleſtias, & pro pecunia inania in ſolutum dent verba, nihil, quo Creditor jure ſuo defraudari poſſit, omittentes. Proinde, ne ſinguli, nimium ſæpe amantes ſui, quod jus putant, id manu exequantur, prudentiſsimè & maximo humanæ ſocietatis bono certa introducta ſunt Juris Remedia, quibus unusquisq; ab alio ſine tumultu & vi privata ſuum conſequi & obtinere poſſet. Et idcirco Judiciorum vigor & publici juris tutela in medio eſt conſtituta, ne quilibet privatus ſibiipſi permittere valeat ultionem. *l. 14. C. de Iudæis.* Barbarorum namq; mos eſt ultio populorum: ideoq; Magiſtratus & Leges à Majoribus accepimus, ne ſui quisq; ſit vindex & Judex: ait Quintilianus, *declam. 12.* Et Rex Theodoricus, Hinc eſt, inquit, quod Legum reperta eſt ſacra reverentia, ut nihil manu, nihil privato ageretur impulſu. Quid enim à bellica confuſione Pax tranquilla diſtat, ſi per vim litigia terminantur? *Caſsiodor. lib. 4. var. epiſtol. 4.* Vis quippe eſt & tunc, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per Judicem repoſcit. *l. 13. ff. quod met. cauſ. geſt.* Unde Divus Marcus: Optimum eſt, ut ſi quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. *d. l. 13.* Et Diocletianus ac Maximianus Imperatores: convenit Debitores ad ſolutionem urgeri Iuris Remediis. *l. 9. C. de O. & A.* Appellantur autem hæc Juris Remedia ACTIONES: de quarum utilitate & præſtantia multi multa paſſim ſcripſerunt. Verùm vino vendibili non opus eſt ſuſpenſa hedera. Et Sol non indiget candela. Ipſa enim hæc Actionum materia præ aliis tanquam pretioſiſſima gemma ſplendet atq; præfulget. *Conrad. Rittershuſ. ad pr. Inſt. de Action.* Nec minor tamen eſt hujus materiæ difficultas. Et veriſſimum eſt illud Plutarchi

NB.

effatum; Difficilia quæ pulchrâ. Hinc etiam Cicero: Quid præclarum, & non idem arduum? In tota autem hac Actionum materia, sive necessitatem & præstantiam, sive utilitatem & difficultatem ejus respicias, ultimum haud obtinet locum frequentissima illa & per totum fermè Jus diffusa quæstio:. An & quatenus Actiones Iure Civili in Successores transeant? Qua de causa, illam hujus Disputationis objectum constitui.

THES. I.

Quoniam verò vocis consideratio, qua mens ad rem ipsam melius cognoscendam præparatur, ad ipsius rei tractationem quasi janua ac via est; ideo eidem viæ insistere, ac de nomine Transitionis Actionum pauca prælibare decrevi. De Etymologia & Transitionis & Actionis hic nihil dicam; magni æstimans Aristotelis, quod habet, 2. *Rhetor.* monitum: Nugatorium dicere manifesta,

Prendere quæ possis oculorum lumine aperto.

Æquivocatio magis hic mihi curæ erit. Sumitur autem nomen Transitionis, uti & verbum Transire, apud Classicos Authores, & in Jure nostro Civili, pro diverso subjecto variè; prout videre est apud Tacit. *lib. 12. Annal. 26. lib. 4. Histor. 28. Agric. 6. & 38. & in l. 38. pr. ff de minor. l. 5. § 1. C. de temp. in integr. restit. l. 5 §. 2. ff. de præscript. verb. l. 54 ff de evict* Quatenus de Actionibus, uti hoc in loco, prædicatur, nihil aliud significat, quam illam Actionum translationem, qua illæ in successores activè & passivè transmittuntur atq; devolvuntur. *l. 43. ff. ad L. Aquil. ibi: isto modo, ne ab eo quidem, cui heres quis erit, transire ad eum actio potest. l. 26. ff. de O. & A. ibi: Omnes pœnales actiones post litem inchoatam & ad heredes transeunt. §. 1. Inst. de perpet. & temp. act. circa fin. ibi: & heredibus dantur & contra heredes transeunt. l. 37. ibi: cum & ea, quæ in nominibus sunt, ad heredes transeant. ff. de A. & O. H.*

THES. II.

Nomen Actionis latissimè patere vulgò notum est, ac comprehendere omnem omnino viventis operationem, quæ passioni opponitur; unde & Oratorum & histrionum & fabrorum actiones esse dicimus. *Georg. Frantzk. Exerc. 13. quæst. 1. num. 1. & 2.* In

& 2. In Jure nostro frequenter ad usum forensem refertur, & ad Judicia restringitur; ipsaq; Juris Remedia significat, quibus cum aliquo contendimus, & jus nostrum coram superiore persequimur; quæ etiam Petitiones, Persecutiones & Judicia dicuntur. *l. 10. ff. de V. S. l. 28. ff de O. & A. 1. t ff. & C. famil. ercisc.* In hoc ipso autem significatu iterum diversimode accipitur: (1.) latissimè, ita ut de omni judiciali persecutione prædicetur; sive illa Civilis sit, sive Criminalis, quæ aliàs Accusatio vocatur. *rubr. C. quand. civ. act. crim. præjud. l. 1. ff. de crim. stellion. l. ult. ff. de priv. delict. l 8. ff. de accusat.* (2.) latè, ut comprehendat omnes civiles persecutiones, sive sint ordinariæ sive extraordinariæ, interdicta, præjudicia, persecutiones, & ut nunc loquimur officii Judicis Nobilis implorationes. *l. 37. ff. de O. & A. l. 34. ff. de V. S.* (3.) Strictè, pro ordinariis & in rem & in personam petitionibus, extraordinariis exclusis. *l. 178. § 2. ff. eod. l. 25. pr. ff. de O. & A. l. 35. §. 2. l. 39. ff. de procur.* (4.) strictissimè, ut solas denotet Actiones Personales. *l. 28. ff. de O. & A. l. 178. §. 2. de V. S. Frantz. d. l.* Et in hac ultima & strictissima significatione ego quoq; Actionis vocabulum hîc accipio, ipsis Justiniani vestigiis insistens, qui omnibus ferè in locis, in quibus de hac Actionum Transitione agit, tantùm personalium mentionem facit. *§. 1. I. de perp. & temp. act. l. 3. C. de hered. act.* Nam Realium Actionum transitio adeo difficilis non est; siquidem activè æque ac alia jura realia ad heredes & similes successores transmittuntur: passivè verò non juris successorem, sed possessorem rerum sequuntur, & quodammodo contra rem ipsam diriguntur. *l. 19. ff de jur. fisc. l. 25. ff. de O. & A l. 2. C. de hered. act. l. 2. C si unus ex plur. hered.* Hinc Paulus JCtus, *si in rem actum sit*, inquit, *quamvis heres possessoris, si non possideat, absolvatur. l. 42. ff. de R. V.* Proinde libellus Actionis Realis, qui in heredem tantum concipitur, omissâ possessionis mentione, tanquam ineptus reijcitur. *Oldendorp. class. 3. act. 2. num. 5.*

THES. III.

Potest autem hæc Actionum Transitio ita breviter delineari: quòd sit modus ipsas Actiones personales in Successores universales transferendi. Et à Dd. vulgariter dividitur in

in Activam & Pafsivam. Activa dicitur, qua Actiones Creditoribus competentes in illorum succeſſores transferuntur. Paſſiva verò vocatur, qua Actiones contra Debitores competentes adverſus illorum heredes & ſimiles ſucceſſores quoq; devolvuntur.

THES. IV.

Hæc Actionum Tranſitio, quamvis ex Jure communi originem trahere videatur; quo ſicuti ad ſucceſſores tranſeunt bona, ita & bonorum onera: *Grot. lib. 2. de jur. bell. & pac. cap. 13. num. 17.* ab Imperatoribus tamen partim Legibus XII. Tabularum, partim aliis Juris Civilis ſpeciebus adſcribitur. Sic Impp. Diocletianus & Maximianus, *Creditores hereditarios*, inquiunt, *adverſus legatarios non habere perſonalem actionem convenit: quippe cum evidentiſsimè Lex XII. Tabularum heredes huic rei faciat obnoxios. l. fin. C. de hered. act.* Et in *l. 26. C. de Pact. Pacto ſucceſſorum debitoris, ex Lege XII. Tabularum æs alienum hereditarium pro portionibus quæſitis ſingulis ipſo jure diviſum, in ſolidum unum obligare creditori non poteſt.* Idem legitur in *l. 6. C. l. 25. §. 13. ff. famil. hercisc. l. 10. C. de jure delib.* De Tranſitione activa extat reſciptum Antonini Imperatoris in *l. 1. C. de except. Debitores quidem hereditarii unicuiq; heredum pro portione hereditaria antiqua lege, h. e. XII. Tabul. obligati ſunt.* Agitur namq; hoc in loco non abſolutè de Actionum Tranſitione; ſed in ſpecie & definitè ſecundum leges & mores Romanorum; quibus illa non tantum approbata, ſed & certis limitibus circumſcripta & propriis qualitatibus induta eſt; cujus reſpectu non minus quàm patria poteſtas, tutela, & ſimilia, Juris Civilis dici poterit.

THES. V.

Multi, etiam magni nominis JCti, hujus Tranſitionis, præſertim paſſivæ, cauſam proximam eſſe arbitrantur quaſi Contractum, per hereditatis aditionem inter heredes & Creditores hereditarios præſumptione & fictè initum. *arg §. 5. I. de oblig. quæ quaſ. ex contr.* Hinc frequentiſsima eſt apud Dd. Regula: Heres Creditoribus hereditariis ex quaſi contractu obligatur. Verùm quæ mea hac de re ſit ſententia breviter dicam. Creditorum hereditariorum appellatio latè patet, ita ut etiam comprehendat legatarios & fideicommiſſarios; *l. 42. ff. de O. & A.* quos ſi Docto-

res

res intelligant, verissima erit illorum regula, utpote ab ipso Imperatore tradita, *in d. §. 5. I. de obl. quæ quas. ex contr. & l. 5. §. 2. ff. de O. & A.* Verùm illa heredis obligatio, quâ legatariis & fideicommissariis adstringitur, ad hanc tractationem non pertinet; quippe heredi imponitur non per Transitionem, sed per novum obligandi modum. Incipit enim illa obligatio in herede; *d. l. 42. ff. de O. & A.* neq; in persona defuncti radicata fuit; & per consequens ab illo in Successorem transire non potuit; adeo ut ille quasi contractus, qui inter heredem & legatarios initus dicitur, nulla ratione hujus Transitionis causa dici possit. Si verò Dd. in dicta regula intelligunt hereditarios Creditores propriè ita dictos, qui jus contra defunctum habuerunt radicatum, uti nostra Transitio requirit; illam falsam esse, nullus dubito. Nam ipsa non tantum omni Juris textu destituitur; sed certissimis quoq; Juris principiis est contraria. Leges siquidem, quas illius Regulæ defensores adducunt, loquuntur de herede & legatariis ac fideicommissariis, qui cum defuncto nihil contraxerunt. *d. §. 5. Inst. de oblig. quæ quasi ex contr. d. l. 5. §. 2. ff. de O. & A.* Et quod ille quasi Contractus, de quo *in dd. ll.* agitur, ad Creditores hereditarios non pertineat, exinde quoq; apparet, quod hisce Creditoribus contra heredes non competat Actio ex testamento, quæ ex illo quasi contractu nascitur: sed illæ ipsæ actiones, e. g. depositi, commodati, empti, locati, pro socio &c. quæ contra defunctum locum habebant, etiam adversus heredes dantur. *l. 12. l. 49. ff. de O. & A. l. 7. §. 1. ibi: datur actio depositi in heredem. ff. deposit. l. 63. §. 8. ibi: in heredem quoq; socii pro socio actio competit. ff. pro soc.* Ex quo suæ sponte fluit, heredem ex illis causis obligatum esse, ex quibus defunctus fuit obligatus. Nam ex fructu cognoscitur arbor. Præterea si heredes etiam creditoribus hereditariis ex dicto quasi contractu obligarentur, omnes actiones contra heredem competentes essent stricti juris. Etenim ille quasi contractus & exinde descendens Actio sua natura est stricti juris, *arg. l. 5. junct. l. 7. ff. de eo quod cert. loc.* Tandem quod hujus Transitionis causa non sit quasi contractus, propria ipsius natura demonstrat. Nam Contractus, & veri & quasi, sunt modi obligationes constituendi, quibus novæ obligationes introducuntur & constituuntur: non verò modi acquirendi & jura jam constituta transferendi. Transitione

autem

autem Actionum non novæ producuntur Obligationes & Actiones; sed jam constitutæ de persona in personam transferuntur. Alia itaq; hujus Transitionis quærenda est causa.

THES. VI.

Nos autem veram & proximam hujus Transitionis causam esse existimamus Aditionem hereditatis, & similes succedendi atq; per universitatem acquirendi modos. Nam per Hereditatis aditionem heredi acquiritur Hereditas, ipsi vel Testatoris voluntate, vel Legis dispositione delata. Hereditas verò est totum aliquod collectivum, quod omnia defuncti jura, activa & passiva, commoda & incommoda comprehendit. *l. 24. de V. S. l. 62. de R I. l. 3. pr. ff. de bonor. poß.* Proinde eo ipso, dum heres hereditatem acquirit, simul etiam omnia defuncti jura, activa & passiva, commoda & incommoda, quæ in hereditate continentur, in heredem transeunt; adeo ut ipse quoad jura illa in defuncti locum succedat, ejusq; personam repræsentet, & cum defuncto una eademq; persona esse dicatur. *Nov. 48. in præfat ibi: cum utiq, nostris videtur legibus, unam quodammodo esse personam heredis, & ejus qui in eum transmittit hereditatem.* Unde ita argumentor: Quodcunq; est causa transitionis ipsius hereditatis, illud etiam est causa transitionis actionum. Actiones enim, uti dictum, tanquam partes continentur in hereditate, & sic cum ipsa hereditate transeunt. Atqui hereditatis aditio est transitionis hereditatis vera & proxima causa. *§. fin. I. de hered. qual. & differ. l. 1. l. 21. §. 1. t. t. ff. de A & O. H.* Ergo hereditatis aditio est etiam causa hujus Actionum transitionis. Quod ipsum etiam clarissimi Juris textus probant. Sic in *l. 22. ff. d. t. Nam ut quis*, inquit Paulus JCtus, *pro herede gerendo obstringat se hereditati.* &c. Et Africanus, *in l. 49. eod. Pupillum etiam eo tutore auctore, qui tutelam non gerat, hereditatem adeundo obligari ait.* Eodem sensu Ulpianus: *Hereditas (scilicet per aditionem acquisita) quin obliget nos æri alieno* (quod in hereditate tanquam pars continetur, & cum hereditate per aditionem in heredem transit,) *etiamsi non sit solvendo, plus quàm manifestum est. l. 8. ff. d. t.* Quodcunq; verò in heredibus extraneis operatur hereditatis aditio, illud etiam efficiunt in suis & aliis successoribus, suorum existentia cum secuta immistione, bonorum posses-

possessionis agnitio, adrogatio, & similes per universitatem acquirendi modi.

THES. VII.

Æquitas, quæ est hujus Transitionis causa impulsiva, quoad transitionem activam & Successores Creditoris, deduci potest ex iis, quæ tradit Grotius *lib. 2. de jur. bell. & pac. capit. 7. num. 3. & ex l. 1. C. de SS. Eccles.* Quoad passivam, ipsa fundatur in analogia & æquabili commodorum & incommodorum mixtura, quam naturalis ratio commendat. Hinc Paulus JCtus: *Secundum naturam est, commoda cujusq; rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. l. 10. ff. de R. I.* & vice versa, Ad quem commoda pertinent, ad eundem retro spectant & onera; & onus à commodo regulatur. *Iacob. Gothofred. ad d. l. 10. ff. de R. I.* Neque ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus verò ei annexum contemnit. *l unic. §. 4. C. de caduc. tollend.*

THES. VIII.

Subjectum in quod Actiones per hanc Transitionem devolvuntur sunt Successores; qui vel sunt Vniversales, vel Singulares. Dicuntur autem Vniversales, qui una acquisitione, in rem universalem; Singulares verò, qui in res singulares succedunt. *l. 24. § 1. ff de damn. infect. l. 1. §. 13. ff. quod legat. Vinn. ad §. fin. I. per quas pers. cui. acquir. num. 1.* Res autem universalis sive rerum universitas est nomen civile, significans quid universum compositum ex multis singulis, nec minus ex oneribus & incommodis vel ære alieno, quàm commodis & ære suo. *l. 3. pr. ff. de bon. poss. l. 37. ff. de A. & O. H. Aegid. Hortens. ad §. si quis una. 9. I. de fideicommiss. hered.* Res verò singulares hîc dicuntur, quæ per se solæ ac separatim absq; commodis & incommodis aliis ad eundem hominem spectantibus aut relatis considerantur. *Dn. Iohann- Otto Tabor in partit. Element. Iur. part. 2. thes. 17.* sive, ut laudatus Hortensius d. l. loquitur: *Nomen rei singularis naturale est, neq; res naturaliter designata detrimentum recipit, nisi naturale, id est, cum res naturaliter aut casu fit deterior; puta, si servus legatus, corpore vel animo peius habere cœperit: neque verò incrementum nisi item naturaliter, puta, si ancilla pepererit. Cæterum civiliter aut extrinsecus nihil recipit,*

430

puta, neque detrimentum ab ære alieno, neque incrementum ab eo, quod hereditati debetur. Ex quo ſtatim apparet, Singulares Succeſſores ad hanc tractationem non pertinere. Quia non ſunt ſucceſſores Juris, univerſi ſcilicet, *l. 9. §. 1. ff. de edendo.* Ipſi enim, uti dictum, tantum ſuccedunt in res ſingulares, quæ ab aliis authoris juribus ſeparatæ ſunt, nec ejusdem obligationes, quæ perſonæ adhærent, & ex quibus actiones perſonales deſcendunt, comprehendunt; & per conſequens cum rebus illis ſingularibus, in illarum ſucceſſores, perſonales actiones tranſire nequeunt. Hinc ſi quis hereditatem à ſe aditam vendiderit; Actiones perſonales hereditariæ directæ nec activè nec paſſivè, in emptorem hereditatis tranſeunt. *l. 5. C. de hered. & Action. vend.* Etenim ad hunc emptorem tantum tranſeunt res ſingulares, quæ ſpecialiter ipſi traditæ ſunt; vide *l. 6. C. de hered. & act. vendit.* nec univerſitas rerum, quæ defuncti fuit, & per aditionem hereditatis cum patrimonio venditoris confuſa eſt, ad hunc emptorem transfertur. *arg. d. l. 6. l. 2. l. 5. C. eod.* Emptio ſiquidem eſt modus obligandi, non verò modus univerſitatem bonorum transferendi. Unde Imperator Antoninus: *Quamvis enim ea lege emerit*, (ſcilicet emptor hereditatis, de hoc enim loquitur) *ut creditoribus hereditariis ſatisfaciat: excipere tamen actiones hereditarias invitus cogi non poteſt. l. 2. C. de hered. vel act. vendit.* Nam certi Jure noſtro introducti ſunt modi, quibus res univerſales transferuntur; ſine quibus ſucceſſores univerſales conſtitui nequeunt. Adeò ut licet quis aliis modis hoc facere tentaverit, illud ipſum tamen efficere haud poſſit. Sic legatum eſt modus particularis, quo res ſingulares acquiruntur: *princ I. de legat.* licet itaque quis bonorum vel hereditatis partem legaverit; quod fieri poſſe conſtat ex *l. 23. l. 26. §. 2. de leg. 1. l. 39. pr. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Legatarius tamen non fit juris & univerſalis ſucceſſor; *arg. d. l. 26. §. 2. de leg. 1.* proinde actiones hereditariæ nec activè, nec paſſivè in eum tranſeunt: *l. ult. C. de hered. act.* ob quam cauſam factum, ut ſtipulationes partis & pro parte inter hujusmodi legatarium & heredem interponerentur. *§. ſed quia, 5. in fin. de fideic. hered. ubi Bachov. & ad princ I. de legat. num. 1.* Neque dictis adverſantur ultima *d. l. 5. de hered. vel act. vend.* verba, quæ hæc ſunt: *quamvis utiles etiam adver-*

ſus

sus debitores hereditarios actiones emptori tribui placuit. Etenim utiles illæ actiones à venditore in emptorem non transeunt, nec emptori per modum transitionis, de quo hîc agimus, acquiruntur; sed à lege ex æquitate dantur. *d. l. 5. arg. l. 7. C. de hered. vel act. vend. l. 1. §. 13. ff. de tut. & rat. distr. l. 16. pr. ibi: Nam ex quo rescriptum est à Divo Pio utiles actiones emptori hereditatis dandas. ff. de pact.* Hoc tamen hîc prætereundum non est, Actiones personales, quæ in rem scriptæ vocantur, quia rem sequuntur, & sub qualitate vindicationis instituuntur, *l. 9. §. fin. l. 14. §. 3. ff. quod met. caus. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 25. th. 5. lit. E pag. mihi 705.* etiam cum re singulari adversus successorem singularem transire. *d. l. 9. §. fin. & l. 1[illegible]. §. 3. ff. d. t.*

THES. IX.

Universalium Successorum diversæ sunt species. Justinianus in Institutis quatuor nobis demonstrat; nimirum 1. Heredem, 2. Bonorum Possessorem, 3. Arrogatorem, & 4. Cui libertatum conservandarum causa bona addicta sunt. *§. fin. I. per quas person. nob. acq.* Tertius in ordine viventi, reliqui defunctis succedunt. Primum locum tenet Heres, qui jure civili directò in universum jus & locum defuncti, vel ex testamento, vel ab intestato jure hereditario succedit. *l. 9. §. 1. ff. de edend. l. 34. ff. de judic. l. 11. ff. de divers. & temp. præscript.* Actiones autem in ipsum & active & passivè transire, textus iidemq; clarissimi sunt *in l. 37. ff. de A. & O. H.* ubi Pomponius, *Heres*, inquit, *in omne jus mortui, non tantùm singularum rerum dominium succedit, cum & ea, quæ in nominibus sint, ad heredem transeant. l. fin. C. de hered. act. l. 13. C. de hered. instit.* adeo ut licet hereditas solvendo non sit, adversus heredem tamen transeant actiones: *l. 8. pr. ff. de A. & O. H.* nisi Inventarium confecerit; tunc enim actiones in quantum vires hereditatis excedunt, novo jure, exceptione repelluntur. *l. fin. C. de jur. deliber. Nov. 1. cap. 2.*

THES. X.

Veniunt autem Heredis appellatione non tantùm primi & proximi heredes; sed etiam ulteriores, heredum heredes, & qui defuncto per successionem quamvis longissimam heredes sunt. *l. 194. de R. I. l. 65. l. 70. de V. S.* nec ullum est dubium, quin etiam

in remotiores successores actiones gradatim transeant. De Herede in re certa, v. c. fundo Tusculano, instituto, quid statuendum sit, paucis videamus. Primò autem in genere dicimus, Heredem in re certa institutum, qua talem, ad hujus transmissionis subjectum non pertinere, & in illum actiones nec activè, nec passivè transire. Ipse enim, qua talis, non universalis, sed tantum particularis successor, & legatarii loco est; per textum expressum *in l. 13 C. de hered. instit.* Verùm ut hæc generalis regula eo melius intelligatur, distinguendum est: an Heres in re certa institutus solus in testamento scriptus sit, nullosq; habeat coheredes; an verò etiam alii simul heredes simpliciter vel ex certa parte instituti sint? Priori casu transeunt quidem actiones in heredem in re certa institutum, verùm non qua talem; sed quatenus ipse est universalis successor & in universum jus defuncti succedit: Nam cum nemo in paganicis pro parte testatus, pro parte intestatus decedere possit. *l. 7. ff de R. I.* & testator hoc in casu testamentarium heredem habere voluerit; ea propter, rei mentione potestate juris detracta, perinde habetur, quasi simpliciter heres scriptus esset, ita, ut ipse in universum defuncti jus succedat, *l. 1. §. 4. l. 9. §. 13. ff. de hered. instit. l. 41. §. fin. ff. de Vulg. & pupill subst.* & per consequens, in ipsum quoq; tanquam verum heredem actiones transeant. Hinc si plures, in certis rebus v. c. Titius ex fundo Tusculano, Sempronius ex fundo Corneliano, instituti fuerint, etiamsi duo illi fundi diversi sint pretii, & singulis, Titio nimirum Tusculanus, & Sempronio Cornelianus officio Judicis attribuatur; æs tamen defuncti alienum ipsi æqualiter agnoscere tenentur, & in quemlibet actiones pro dimidia parte transeunt. Quippe ex æquis partibus, quasi sine partibus scripti, succedunt, & fundos vice perceptionis accipiunt. *l. 35. pr. & §§. seqq. ff. de hered. instit.* Posteriori casu, si coheredes hereditatem adjerint, heres in re certa institutus legatarii loco habetur, & tantum rem illam singularem consequitur. Cessat enim hîc ratio, propter quam superiori casu rei mentio detrahitur. Testator enim hoc in casu tantum testatus decedit; siquidem coheredes in universum jus defuncti succedunt; ut propterea in illos quoq; tantùm actiones transeant. *l. fin. C. de hered. action.* Atq; hic est casus, qui in *l. 13. C. de hered. instit.* proponitur, & dicto modo deciditur, pro ut ex ipsis *d. l. 13.* verbis.

bis apparet, quæ hæc sunt: *Quoties certi quidem ex certa re scripti sunt heredes, vel certis rebus pro sua institutione contenti esse jussi sunt, quos legatariorum loco haberi certum est: alii verò ex certa parte, vel sine parte, qui pro veterum legum tenore ad certam unciarum institutionem referuntur: eos tantummodo omnibus hereditariis actionibus uti vel conveniri decernimus, qui ex certa parte vel sine parte scripti fuerint, nec aliquam deminutionem earundem actionum occasione heredum ex certa re scriptorum fieri. vid. Bachov. vol. 2. ad Treutl. disp. 14. th. 10. lit. K.* Cæterum si coheredes hereditatem non adjerint, res perinde habetur, ac si heres, qui ex re certa institutus est, ab initio solus scriptus sit; unde in totam hereditatem succedit, & tanquam verus heres & successor universalis rectè hereditariis actionibus conveniri & agere potest. *Sichard. ad d. l. 13. C. de hered. instit. num. 6. Mich. Graß. lib. 1. recept. sentent. in §. hereditas. quæst. 3. & §. Institutio. quæst. 22. num. 2. & seqq. Bachov. vol. 2. ad Treutl. disp. 12. th. 1. lit. A.*

THES. XI.

Si plures simpliciter, vel ex certis partibus instituti, omnes hereditatem adierint; actiones in ipsos quidem transeunt, verùm regulariter non in solidum, sed in singulos pro hereditaria portione; *l. 1. C. si cert. pet. l. 1. C. de except. l. 6. C. famil. hercisc.* adeò ut hoc ipsum heredes debitoris, quo minus singuli pro portione hereditaria conveniantur, pacto, invitis creditoribus, mutare non possint. *l. 26. C. de pact.* Exceptiones tamen, quibus singulis heredibus actiones & activè, & passivè in solidum dantur, vide in *l. 25. §. 9. 10. & seqq. ff. famil. hercisc. l. 3. §. 3. ff. Commod. l. 1. & 2. C. si unus ex plurib. hered. l. 85. ff. de Verb. Obligat. vide etiam l. 1. §. 36. ff. deposit. l. f. C. eod.* Miles, si alium castrensium rerum, alium cæterarum scripsisset heredem, quasi duorum hominum duæ intelliguntur hereditates. Hinc etiam actiones, quæ ad bona castrensia pertinent, & æs alienum, quod in castris contractum est, transit ad solum castrensem heredem. Reliquæ verò actiones ad heredem paganum devolvuntur. Si tamen unus ex illis propter æs alienum adire recuset, alter, qui adiit, totam agnoscere tenetur hereditatem, & omnibus creditoribus respondere. *l. 17. §. 1. ff. de testam. milit.*

THES. XII.

Ad exemplum militis, etiam Vasalli duos sæpe heredes, unum allodialium, Land-Erben / alterum feudalium Lehen-Erben / relinquere solent; hinc frequentissima in foro est quæstio: quæ actiones in hunc, quæ verò in illum transeant? Hæc autem quæstio non minus difficilis quàm frequens & utilis, imprimis de Transitione passiva agitatur; an & quatenus actiones dentur adversus successores feudales? Ad cujus illustrationem & decisionem, maximè necessaria est magistralis illa Feudi divisio, qua illud in Hereditarium & Feudum ex pacto & providentia dividitur. *Berlich. part. 2. concl. 55. num. 1.* ubi expressè docet, quod nemo ex perplexa illa quæstione sese explicare possit, nisi qui probè naturam feudi hereditarii & ex pacto & providentia noverit. Nam hæc ipsa Feudi divisio secundum veriorem sententiam dependet à diversa succedendi ratione. *Vult. lib. 1. Feud. cap. 8. num. 25. Struv. Exercit. Feud. 4. thes. 12. in pr.* quæ etiam quoad nostram materiam diversos producit effectus. Etenim in hereditario Feudo, Erblehen / successio fit secundum modum succedendi civilem, ita ut quoad modum succedendi sese habeat ut res hereditaria seu allodialis, & successor in illud succedat jure hereditario civili, cum qualitate hereditaria; & non ex providentia juris feudalis, sed ex juris communis dispositione. *Berlich. part. 2. concl. 55. num. 10. 18. & plurimi ibid. alleg. Bachov. ad Treutl. vol. 2. d. 12. th. 4. lit. B. fere in fin. Vult. lib. 1. de feud. d. c. 8. n. 26. Struv. d. l. Bened. Carpzov. part. 2. Iurispr. forens. const. 47. def. 1. num. 19. & 10. ibi: ut feudum hereditarium immutata primi feudi natura, quoad successionem & ejus effectum pro re hereditaria reputetur, atque adeò in ipso feudo ab herede jure hereditario succedatur, & ita feudum idem corpus & patrimonium inseparabile fiat cum cæteris rebus hereditariis.* Jure autem civili, quicunque jure hereditario in alterius locum & jus succedit, ille non potest non succedere simul etiam in defuncti jura passiva & in æs alienum, per jura præced. thes. allegata. Unde communiter & rectissimè docent Dd. Actiones adversus successorem Feudi Hereditarii transire, ipsumque ad æs alienum defuncti teneri. *Georg. Schultz Synops. feudal. cap. 8. num. 160. Berlich. dict.*

part. 2.

part. 2. concl. 55. num. 20. & ſeqq. ubi plures hujus ſententiæ adducit ampliationes Struv. exerc. feud. 14. theſ. 2. Nihilque refert ſive filius, ſive agnatus in hoc feudum ſuccedat; quippe uterque; jure hereditario civili ſuccedit, & Vaſalli heres eſt, in quem tranſeunt omnia defuncti jura & actiones; adeò ut licet agnatus reliqua bona Vaſalli allodialia repudiare, & feudum tantum retinere velit, per hoc ipſum tamen ab actionibus hereditariis & ære defuncti alieno ſeſe liberare haud valeat. Sicut enim nemo unam hereditatis partem agnoſcere, alteram verò repudiare poteſt. *l. 1. & 2. ff. de O. & A. H.* ita quoque bona allodialia hoc in caſu à feudo hereditario ſeparari, & illis repudiatis, hoc retineri nequit. Nam hereditarium feudum pars hereditatis eſſe cenſetur. *Bened Carpz. d. def. 1. num. 10. Vult. de feud. lib. 1. cap. 9. num 114. Gail. 2. obſ. 154. num. 10. & 18. Bachov. d. th. 4. lit. B. Berlich. d. l. num. 4. Mynſ. 3. obſ. 69. num. 1. & ſeqq.*

THES. XIII.

In feudo ex pacto & providentia, cum ſucceſſio fiat non ſecundum modum ſuccedendi civilem, ſed feudalem ex pacto primi acquirentis & providentia juris feudalis, jure ſanguinis à primo acquirente deſcendentis; proinde in hoc feudo tranſitio actionum ex Jure Civili regulari nequit, ſed ad feudorum conſuetudines recurrendum erit. Ad illas itaque reſpicientes diſtinguendum putamus, inter debita feudalia, & hereditaria ſive allodialia. *Berlich. part. 2. concl. 55. num. 33.* ubi teſtatur, hanc diſtinctionem conſuetudine receptam eſſe. Illa etiam hujus feudi ſucceſſorem ex generali conſuetudine ſequuntur. Nec quicquam refert, ipſe filius, ſive agnatus ſit; ſive in allodialia quoque ſucceſſerit, ſive non. *Berlich. d. concluſ. 55. num. 35. & 79.* Nec ferendus eſt is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. *Carpz. part. 2. I. F. conſt. 46. def. 7. Georg.* Schultz *Synopſ. feud. cap. 8. num. 164. Georg Adam Struv. exerc. feud. 14. th. 4. Dn. Ioh. Otto Tabor de oblig. ſucceſſ. in offic. cap. 5. num. 22. in fin. & 23.* Quæ autem talia onera & debita ſint, & qualis inter illa ſit differentia, de eo vide Berlich. *d. concl. 55. num. 36.* Carpzov. *d. conſt. 46. def. 8. & ſeqq.* Georg. Schultz. *d. cap. 8. num. 165.* Struv. *d. exerc. 14. th. 5. & ſeqq.* Quod attinet:

net debita civilia hereditaria sive allodialia, quæ etiam onera Vasalli dicuntur, Doctores communiter distinguunt inter feuda nova & antiqua. In illorum successores æs defuncti Vasalli alienum, & actiones ad illud exigendum competentes transire, probant *arg. c. unic. 2. Feud. 45. Hart. Pistor. lib. 2. quæst. 4. num. 25. Berlich. d. conclus. 55. num. 85. Iohann Borcholt. de feud. cap. 9. num. 239. Carpz. d. const. 46. def. 4. num. 7. & 8. Struv. d. Exerc. thes. 27.* Quoad feudum Antiquum, interest, an Successores feudi illius simul sint heredes in allodialibus, an verò non. Priori casu, in illos omninò transeunt actiones, ipsique creditoribus hereditariis, quatenus heredes sunt, tenentur. *d. c. unic. 2. feud. 45. Iohann Otto Tabor. d. cap. 5. num. 22. Berlich. d. conclus. 55. num. 86.* Schultz. *d. c. 8. num. 201. Dn. Struv. d. exerc. thes. 28.* Posteriori casu, si successor feudi, heres non sit, & feudum tantùm retineat, debita hereditaria solvere non obligatur, nec actiones adversus illum transeunt. *d. c. unic. 2.* Feud. *45. Ioh. Otto Tabor d. l. Berlich. d. l. num. 81. & Dd. communit.* Cæterum inter Filium & Agnatum ipsius Vasalli, de jure feudali hæc est differentia; ut hic quidem feudum solum retinere, & hereditatem Vasalli repudiare possit; ille verò filius, ob honorem patri debitum, quo mediante in feudo succedit, utrumque vel retinere vel repudiare teneatur. *d. c. unic. 2. Feud. 45. Bened. Carpzov. part. 2. const. 47. def. 3. Berlich. p. 2. conclus. 56. num. 13. Sigism. Finckelthaus disput. feud. 6. thes. 22. Bachov. vol. 2. disp. 12. thes. 4. lit. B. Tabor. d. l. num. 22. Struv. Exerc. feud. 9. th. 11. Dn. Ludw. Synop. jur. feud. cap. 10. pag. 266. Dn. Schnobel. disp. feud. 7. th. 22.* Quapropter, cum filius feudi successor regulariter quoque sit heres, ipsum etiam regulariter patris æs alienum agnoscere & exsolvere oportet. *d. c. unic. Dn. Carpz. part. 2. Const. 46. def. 5.* vid. omninò Struv. *exercit. feud. 14. th. 29.*

THES. XIV.

Relicto successore feudali, redeamus ad heredem allodialem, in quem hereditariæ actiones ita transeunt, ut licet heres hereditatem aliis restituere rogatus sit, illamque etiam restituerit, ipse tamen heres maneat, ac proinde stricta juris ratione actionibus hereditariis experiri & conveniri possit; *§. 3. I. de fideicomm. hered. l. 88. in fin. ff. de hered. instit.* sed post SCtum Trebellia-

num

num ſine effectu. Quamvis enim etiam facto jam SCto Trebelliano, Heres, qui ex fideicommiſſo reſtituit hereditatem, non deſinat eſſe heres, & directæ actiones penes illum maneant, nec in fideicommiſſarium transferantur: *d. l. 88. in fin. l. 7. §. 10. in fin ff. de minor. l. 70. pr. ff. ad SCtum Trebellian. arg. l. fin. ff. de transact.* dicto tamen SCto hoc effectum eſt, ut heres agens exceptione hereditatis reſtitutæ repelli, & conventus alios eadem repellere poſſit. *l. 1. §. 4. l. 27 §. 7. ff. ad SCtum Trebell.* Ei verò, cui reſtituta eſt hereditas, & in eum, tanquam heredi & in heredem actiones utiles dantur; *§. 4. I. de fideicommiſſ. hered. l. 18. §. ult. ff. ad L. Falcid.* quæ cum directis ejusdem ſunt poteſtatis, eundemque habent effectum. *l. antepen. §. 1. ff. de negot. geſt.* Atque hæc omnia vera ſunt & procedunt, ſi totam hereditatem, aut integram ſuam portionem, heres reſtituerit; (ſpontè, an coactus nihil refert) *§. 7. I. de fid. hered. l. 16. §. 7. l. 45. ff. ad SCt. Trebell. Bach ad Tr. v. 2 d 14. theſ. 9. lit. C. & D. in pr.* Cæterum ſi non tota hereditas, ſed tantum ejusdem pars reſtituta fuerit, & ipſe quoque fiduciarius partem retinuerit, actiones hereditariæ pro rata portione apud heredem cum effectu manent; ac pro altera parte fideicommiſſario & in eum dantur; *d. §. 7. l. 1. C. ad SCt. Trebell.* quod ſecus eſt, ſi heres certa re vel ſumma deducta hereditatem reſtituere rogatus ſit; tunc enim, æquè ac in priori caſu, fideicommiſſario & in eum in ſolidum dantur actiones: fiduciarius verò, quoad effectum ſimilis eſt heredi in re certa inſtituto, cujus coheredes hereditatem adierunt. *§ 9. I. de fideic. hered. l. 30. §. 3. ff. ad SCt. Trebell. Hillig. ad Donell. Enucl. lib. 7. c. 28. lit. B. in med. Dn. D. Schnobel. ad ff. diſp. 8. theſ. 14.*

THES. XV.

Ex quatuor ſupra enumeratis Succeſſoribus Univerſalibus primum & præcipuum, Heredem nim: conſideravimus. Succedit nunc ſecundus, Bonorum Poſſeſſor; qui Prætoris beneficio in univerſum jus & locum defuncti ſuccedit, *l. 3. pr. ff. de bon. poſſ. l. 13 pr. ff. de bon poſſ. contr tab.* & paſſim Succeſſor honorarius vocatur. *l. 24. §. 1. ff famil. herciſc. l. 9. §. 6 de interrog. l. 10. ad SCt. Vellei. l. 1. § 8. ut leg. nomin. cav.* Cum enim Lex XII. Tabul.

Tabul. nimis angustis finibus successiones coarctasset, ac propterea homines sæpe numero sine successoribus morerentur: Prætor æquitate motus, suas partes interposuit, & dilatatis Juris Civilis angustiis constituit, ut hi, qui illo jure ad bona defuncti pervenire non poterant, ex benignitate tamen Juris Prætorii postea ad successionem admitterentur; non quidẽ ad hoc, ut hereditatẽ acquirerent, sed ut bonorum possessionem saltem nanciscerentur, & cum subtilitate Juris heredes fieri non poterant, fiant tantum bonorum possessores. Nam Prætor heredem facere non poterat; per legem enim vel similem juris constitutionem heredes fiunt. *pr. Inst. de bon. poss.* Quod etiam elegantissimè probat Ulpianus, *in fragm. tit. 28. §. 11. Hi*, inquit, *quibus ex successorio edicto bonorum possessio datur, heredes quidem non sunt, sed heredis loco constituuntur beneficio Prætoris.* Hæc autem Bonorum Possessio etiam est res universalis, sive rerum universitas, quæ commoda & incommoda, & omnia defuncti jura, activa & passiva complectitur, *l. 1. & d. l. 3. ff. de bon. poss.* viq; ipsa nihil aliud est, quàm hereditas; & hereditatis nomine continetur. *l. 138. ff. de V. S. l. 1. §. 7. ff ad SCt. Trebell.* Quicunq; itaq; illam consequitur, non minus rectè, quàm heres, universalis successor dicitur, & ad subjectum nostræ Transitionis refertur. Etenim quicunq; in universum jus succedit, heredis loco est, & cum herede æquo jure censetur, pariq; passu cum eo ambulat. *l. 128. §. 1. de R. I.* Unde in specie Ulpianus, *in omnibus causis*, inquit, *vice heredum bonorum possessores habentur. l. 2. ff. de B. P.* & Paulus: *Prætor bonorum possessorem heredis loco in omni causa habet. l. 117. de R. I.* Idem legitur in *l. 13. pr. de bon. poss. cont. tab. ibi: Omne enim jus transferri æquum est, quod per causam hereditariam scriptus heres nanciscitur, ad eum, quem prætor heredis loco constituit.* Proinde actiones hereditariæ sine omni dubio æque in bonorum Possessorem, ac in heredem, activè & pasivè transeunt. Quod expresis quoq; verbis docet Ulpianus in *l 10. ff. ad SCt. Vellej.* dicens: *Hæ actiones & heredibus, & in heredes, & perpetuo competunt, cæteris quoq; successoribus honorariis dabuntur, & adversus eos.*

THES. XVI.

Sequitur nunc tertius Successor Universalis, Arrogator; qui patremfamilias, liberorum loco in familiam legitimè assum-

psit,

psit. Nam qui se arrogandum dat, cum capite fortunas quoq; suas, i. e. omnia, quæ habet, transfert ad patrem adoptivum, *l. pen.* *§. 2. ff. de bon. poss secund. tab. l. 15. pr. ff. de adopt.* adeò ut actiones etiam & nomina transeant in illum sine ulla cessione. *§. 1. Inst. de acquis. per arrog.* Quæ omnia dependent ex antiquo jure patriæ potestatis. Sed postquam illud in parentibus naturalibus immutatum est; etiam ad Arrogatores, ne fictio veritate sit fortior, illam ipsam mutationem Impp. extenderunt; constituentes, ut arrogati quoq; castrensia & quasi castrensia pleno jure, adventitia verò proprietate retineant; patri vero tantum ususfructus cum potestate administrandi cedat. *§. 2. l. eod. l. 4. §. 2. ff. de castr. pecul.* adeo ut jure novo omnia arrogati jura & actiones in arrogatorem non transeant: sed ipse tantùm tanquam legitimus peculii adventitii administrator filii nomine & consensu, si ipse pubertate major, conveniri & agere posit. *§. 3. I. de acquis. per arrog. arg. l. 8. §. 3. C. de bon. quæ liber.*

THES. XVII.

Quartus Successor universalis, & postremus inter eos, qui propositi sunt in *§. ult. I. per quas person.* est is, cui bona defuncti libertatum conservandarum causa addicta sunt. Etenim si in testamento vel codicillis libertates datæ fuerint, & nemo neq; ex testamento, neq; ab intestato hereditatem adjerit; ne libertates, quarum in jure favor est maximus, pereant, *arg. l. 9. ff. de testam. tutel.* & bona cum defuncti ignominia à creditoribus posideantur & distrahantur; D. Marci constitutione factum est, ut servi, qui à Domino acceperunt libertatem, si bona sibi addici velint, audiantur. *t. t. I. de eo cui libert. caus. bon. addic. l. ult. C. de test. manum.* Qua addictione facta, ipsi bonorum possessori asimulantur. *l. 4 § antepen. ff de fideicom libert.* atq; in eos actiones, sed utiles tantum, creditoribus dantur. *l. 3. ff. d. t.* Verùm de hoc ipso frustra disputamus, cum illius hodie apud nos usus sit nullus. *Georg* Schultz. *ad d. t. Inst in fin.*

THES. XVIII.

Et hactenus de quatuor illis Universalibus Successoribus, qui in Institutionibus recensentur. Reliquos Juris libros evolventes, quintum offendimus, Fiscum, vel bona ob delictum

publicata, vel vacantia occupantem. Sunt quidem, qui Fiscum, præsertim in bona vacantia succedentem, ad primum Universalem Successorem referunt; existimantes ipsum jure hereditario bona ita acquirere, & verum heredem esse, ac propterea non diversum Universalem successorem constituere. *Valent. Riemer. decad. 8. quæst. ult.* Sed ab hac sententia recedunt Peregrin. *de Iure Fisci lib 5. tit. 1. num. 60. & seqq Bachov. ad Tr. vol. 2. d. 16. Th. 1. lit F. Borcholt. tr. de gradi. cap. de success. Fisci. pag. 264.* docentes: Fiscum prædictis in casibus bona occupare non jure hereditario, sed superioritatis jure. *per cap. unic. 2. Feud. 56.* Unde etiam in jure nostro ad ordines heredum ab intestato succedentium non refertur, sed potius heredibus opponitur Fiscus bona vacantia occupans. Atq; hanc sententiam, quam latius defendit Peregrinus, *d. l.* quoad occupationem bonorum publicatorum, concedit etiam Valent. Riemer *d. l.* ast quoad occupationem bonorum, quæ vacantia dicuntur, quorum scilicet dominus sine herede decessit, pro prima sententia acriter pugnat, varia ac speciosa adducendo argumenta; quæ tamen ad veritatis solem collata, haud durare, sed colliquescere videntur. Nam quod Dn. Riemerus tanquam palmarium affert ex *l. 51. § fin ff. de fidejuss.* fiscum scilicet indistinctè conferri cum herede: suo modo quidem concedimus; sed consequentiam negamus; nec exinde statim sequitur fiscum proprie esse heredem, & jure hereditario in bona vacantia succedere. Sic videmus quod bonorum possessor indistinctè conferatur cum herede in *l. 2. ff. de B. P.* & tamen bonorum possessor proprie heres non est, sed saltem quoad effectum heredis loco habetur. *pr. I. eod.* quod ipsum adhuc pluribus aliis exemplis, si tempus hoc permitteret, demonstrari posset. Nulla itaq; in hoc argumento subest ratio consequentiæ. Cum heres & fiscus tantum quoad effectum *in all. l. 51. § fin* comparentur. Comparata autem non sunt eadem. Et si adducta ratio adhuc quicquam concluderet, sequeretur, fiscum etiam bona damnatorum, ut heredem occupare, & jure hereditario in illis succedere. Exprese enim *d. l.* de bonis publicatis loquitur. quod tamen ipse Riemerus & alii dissentientes inficiantur. *d. quæst. ult. Hillig. Donell. Enucle. lib. 9. c. 1. lit. S. ibi: Quando autem bona ob delictum alicujus confiscatione transferuntur, non est heres, sed heredis loco.* Porro pro

confir-

confirmanda hac ſua ſententia Dn. Riemerus tale nectit argumentum: *Fiſcus bona vacantia occupans ſuccedit in juribus activis & paſſivis. l. 2. C. ad l. Iul. de vi. l. 5. C. de bon. proſcript. Iura verò hæc ſunt certa heredis nota. l. fin. C. de hered. act E. hoc in caſu fiſcus eſt proprie dictus heres.* Verùm ſi hæc in majori adducta ratio vim concludendi habet, quid obſtat, quò minus eo etiam in caſu, ubi bona damnatorum occupat, fiſcus propriè heres dici poſsit: cum tàm hoc, quàm illo in caſu actiones in fiſcum transferantur. Et inſuper d. ll. non de bonis vacantibus; ſed de bonis damnatorum fiſco vindicandis expreſse loquantur. Deniq; nec ultimum Dn. Riemeri argumentũ adeo firmo ſtat talo, ut nullo modo everti poſſit. Nam licet fiſcus utatur hereditatis petitione, *per l. 20. §. 6. ff. de hered. petit.* Inde tamen certò colligi haud poteſt, fiſcum verè eſſe heredem, & hereditario jure ſuccedere. Ipſe enim Ulpianus *in all. l. 20. §. ſeq. 7.* expreſsè aſſerit, hoc SCtum, non ſolum ſi vacantia bona fiſco vindicantur; ſed etiam ſi ex alia quacunque cauſa bona ad fiſcum pervenerint, locum habere. Quapropter ſi hoc Riemeri argumentum quicquam probat, infallibiter quoq; ſequitur, de occupatione bonorum publicatorum idem eſſe dicendum; quod ipſum Diſſentientes uno quaſi ore conſtanter negant. De reliquis Dn. Riemeri rationibus atq; fundamentis in conflictu videbimus. Quamvis autem ex prædictis jam ſatis appareat, fiſcum neq; priori, neq; poſteriori caſu heredem propriè dictum eſſe, nec illum jure hereditario in bona vacantia ſuccedere; tamen quoad effectum heredis loco habetur, *l. 128. §. 1. de R. I.* & poſt agnitionem bonorum ei & in eum, pro portione & quantitate ad ipſum delata, actiones tranſeunt. *l. 3. §. 5. l. 17. §. 5. ff. ad SCt. Trebell. l. 6. ff. de jur fiſc. l. 1. C. de fidejuſſ. l. 51. pr. ff. ſolut. matr. l. 2. C. eod. l. 9 §. 6. ff. de tut. & rat. diſtr d. l. 2. C ad L. Iul. de vi publ. vel priv & d. l. 5. C. de bon. proſcript. Gail. 2 obſ. 86. num. 6. & ſeqq Dn. Carpz. I. F. part 4. conſt. 1. def. 16.* Pari enim jure fiſcus in his bonis utitur, quo is uſurus erat, cui ſucceſſit. *l. 3. §. 7. l 6. pr. ff. de jur. fiſc.* Peregrin. *d. l. 5. cap. 1. num. 53 & ſeqq.* Hoc tamen communiter Dd. addunt, Fiſcum ultra vires bonorum occupatorum non teneri. *per l. 1. §. 1. l. 11. ff. d. t. Borcholt. d. tr. de gradib. pag. 265. Fachin. lib. 6. controv. cap. 21. in pr. Vinn. ad §.*

fin. I. per quas person. cuiq; acquir. Latius hoc persequitur Peregrinus *lib. 4. tit. 3. num. 25. & d. l. 5. tit. 1. num. 64.*

THES. XIX.

Denique certis collegiis universitas bonorum, sine herede defuncti, ex speciali privilegio conceditur. *t. t. C. de hered. Decurion.* quæ etiam heredum locum obtinent. *arg l. 128. §. 1. de R. I.* & proinde recte ad nostræ Transitionis subjectum referuntur. Tandem ad Successores universales pertinere dicitur Monasterium; quod universa bona illorum, qui illud ingrediuntur, ipso jure acquirit. *Nov. 55. cap. 5. auth. ingressi C. de SS. Eccles. cum auth. seqq. Vinn. ad d. §. fin. I. per quas person. num. 2.* Et hæc hactenus de Successoribus; in quos actiones tàm activè quàm passivè transeunt.

THES. XX.

Veniamus ad nostræ Transitionis Objectum: quod constituunt Actiones personales. Supra enim dictum est, nos hìc tantùm de mere personalibus acturos esse Actionibus, relictis Realibus, & quæ cum illis aliquam habent cognationem, in rem scriptis. Quæ autem Actiones personales in Successores transeant, illud imprimis dijudicandum est, ex causa harum Actionum remota, quæ diversa est. Omnes siquidem Actiones Personales oriuntur ex Obligatione: Ipsa autem Obligatio descendit vel ex facto licito, vel illicito. Factum licitum est vel Pollicitatio, vel Conventio. Pollicitatio legitima, sponte nimirum Deo vel Reipublicæ ob causam facta, obligationem & exinde Actionem producit; quæ non tantùm locum habet contra ipsum pollicitatorem, sed etiam transit adversus ejus heredes; *l. 2. §. fin. ibi: voti enim obligationem in heredem transire constat. l. 14. ff. de pollicit.* nisi Pollicitatio facta sit ob honorem; & promissor, antequam illum inierit, re adhuc integra, denatus fuerit: *l. 11. ff. eod. Wesenbec. in parat. ff. d. t. num. 5.* Reliquis in casibus, heredes quoque tenentur; ita tamen, ut interdum in illorum persona locum habeat diminutio: puto, si facta sit non ob honorem, sed aliam ob causam; & in bonis defuncti non sit, unde promissa præstentur. *l. 6. pr. l. 9. ff. h. t.* Tunc enim Extranei heredes tantum in quintam, & liberi in decimam patrimonii de-

functi partem tenentur. *d. l. 9.* Cæterum si ob honorem quis aliquid promiserit, illumque inierit, etiam ejus heredes in solidum sine diminutione conveniri, & ab illis promissum tanquam æs alienum exigi potest. *l. 3. pr. l. 6. pr. d. l. 9. pr. ff. de pollicit.* At si promissor, antequam susceperit honorem, decesserit, uti dictum, extinguitur obligatio; nisi opus promissum jam fuerit inchoatum; quod heredes quoque vel adimplere & perficere, vel extranei quintam, liberi verò decimam hereditatis partem exsolvere tenentur. *d. l. 14. ff. eod.*

THES. XXI.

Alterum factum licitum, ex quo obligationes efficaces & actiones oriuntur, est Conventio sive Pactum & quidem Jure Civili, non Nudum sive [illegible] vestitum. Nudum enim pactum ad actionem producendam Jure Civili non proficit. *l. 5. §. 2. ff. de solut. l. 10. C. de pact. l. 27. C locat. l. 3. C. de rer. permut. l. 7. §. 4. ff. l. 13. C. de pact.* Moribus autem nostris etiam ea pacta, quæ de Jure civili Nuda dicuntur, actiones producere, tradit & testatur *Wesenb. in paratit. ff. de pact. num. 9. Bocer. ad l. 23. ff de R. I cap. 1. num. 73. & 74. Dn. Carpzov. Iurispr. forens. p. 2. const. 32. def. 10. num. 9. & 10. Henric. Hahn ad Wesenb. tit. de pact. num. 9.* Unde quæritur. an Actiones moribus nostris ex nudis pactis descendentes etiam heredibus & in heredes competant & dentur? Quod nos omninò affirmandum esse censemus. *arg. §. 1. Instit. de perpet. & temp. action. Haersoldt de Action. part. 1. act. 14. num. 10.*

THES. XXII.

Pactum non Nudum jure civili dicitur, quod ad actionem producendam efficax est: idque vel ex se & sua natura & vocatur Contractus; vel ex cohærentia contractus, ut pactum contractibus adjectum; vel ex assistentia legis, puto pactum legitimum. Actiones quæ ex pacto legitimo oriuntur & activè & passivè transeunt in heredes. Exemplum habemus in actione constitutæ pecuniæ, quæ omninò in heredes transit. *l. 1. l. 2. pr. C. de const. pecun* Item actio quæ datur ex donatione & heredibus donatarii & in heredes donatoris competit. *leg. 35. in fin. & ibi Gothofred. C. de donat.* adeo ut licet in ipsa inter vivos donatione nullâ facta fuerit heredum mentio, donatarius tamen ante do-

nato-

natorem mortuus nihilominus actionem sibi competentem ad successores suos transmittit. *arg l. 9. ff. de probat. Bened. Carpzov. part. 2. l. F. const. 12. defin. 25. Et lib. 5. tit. 7. Respons. 55. num. 7. ubi num. praced. 6. docet*, mortis causa donationem ad heredem non transire. Quod verum est, si ante donatorem decesserit donatarius. Cæterum si hic ultimo loco mortuus fuerit, quin actio ejus heredi ad rem mortis causa donatam exigendam etiam competat, nulli dubitamus. Adversus autem donatoris heredis actio in tantum datur, ut ipsi in solidum jure conveniantur, nec quicquam ratione alimentorum deducere posint. *l. 41. in fin. princ. ff. de Re Iud.* Privilegium siquidem competentiæ, quod defuncto donatori competebat, personale est & in heredes non transit. *l. 24. l. 25. ff. d. t. l. 63 §. 2. ff. pro soc. l. 12. & l. 13. ff. solut. matrim.* Ex pactis contractibus adjectis eædem oriuntur actiones, quæ ex contractibus, quibus adjecta sunt, quorumq; pars esse censentur, descendunt. *l. 6. §. 1 ff. de act. empt. l. 11. C de pact. l. 4. pr. ff. de leg. commiss. l. 16 ff. de in diem addict. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 6. Thes. 10. lit. C. & in comment. ff. tit de pact. rubr. de pact. adject. num. 6. Frantzk in Comment. ad ff tit. de contrah empt. num. 409.* Idem itaq; dicendum est de his, quod de actionibus ex contractibus venientibus in sequenti. thes. dicemus.

THES. XXIII.

De Actionibus, quæ ex Contractu veniunt, hanc constituo Regulam: Actiones ex contractu descendentes regulariter & active & passive in successores transeunt. *per l. 12. l. 39 ff. de O. & A. §. 1. Inst. de perpet. & temp. act.* ubi particula Aliquando regulam præsupponit contrariam: quod ipsum confirmatur exemplo actionis Commodati, *l. 3. §. 3. ff. commod.* Depositi, *l. 1. §. 19. l. 7. §. 1. l. 9. l 14. l. 25. pr. ff. deposit. l. 8. l. fin. C. eod.* Sequestrariæ, *l. 12. §. 2. ff. depos.* Pignoraticiæ, *l. 10. C. de pign. act.* Empti Venditi, *l. 47. l. 52. §. 1. ff. de act. empt. vend.* Locati, *l. 24. l. 29. l. 34. C. locat.* ex Literarum obligatione, *l. 8. C. de non numer. pecun.* Stipulatione, *l. 2. §. 1. l. 85. de V. O.* etiam tacita & ficta, *l. unic. §. 4. C de rei uxor. act. l. 2. C. solut. matrim.* Fidejusione, *§. 2. Inst. de fidejus. l. 4. §. 1. ff. l. 24. C. eod &c.* Atq; hæc regula vera est & procedit non tantum in Actionibus quæ ex veris, sed etiam

quæ

quæ ex quasi contractibus proveniunt. *d. l. 39. ff de O. & A.* e. g. Heredes & agere & conveniri possunt actione negotiorum gestorum, *l. 3 §. 7. ff de negot. gest. l. 6. l. 7. l. 17. C. eod.* condictione indebiti, &c. *l. 12. ff. de condict. indeb.* Etiamsi ipsi contractus personales, & morte contrahentium extincti fuerint; actiones tamen, quæ ex illis jam natæ sunt, in heredes transeunt. v. c. Societas, Tutela, Cura, solvitur & finitur morte; nec in heredes transit: Actio verò pro Socio, *l. 35. l. 36. l. 63. § 8. ff. pro soc.* & Tutelæ heredibus & in heredes datur. *l. 1. § 16. & 17. l 7. ff de tut. & rat. distr. l. 3. § fin. ff. de contrar. tut. l. 4. ff. de fidei. & hered. tutor. l fin. C. eod l. 17. C. de negot. gest.* Vide tamen *l. 1. C. de hered. tut. & cur d. l. 17. Dn. Bened. Carpz. l. F. part. 2. const. 11. defin. 35.* Nec interest etiamsi in contractu nulla heredum facta fuerit mentio. *l. 38. pr. ff de V. O. arg. l 9. ff. de probat. l. 13. C. de contrah. stipul. Dn. Carpzov. d p. 2. const 20. def. 1. num. 1. Bachov. ad Tr. vol. 2. disp 28. th 5. lit B. in pr* Ut proinde clausula heredum mentionem faciens, in contractibus, quoad hunc effectum, ut nimirum actio in illos transeat, supervacua esse videatur. *l. 56. §. 1. ff de V. O.* Quæ enim tacitè insunt, si expresse adiiciuntur, nihil operantur. *arg. l. 3. de leg. 1. l. 3. C. de fidejuss. Gail. 2. obs. 2. num. 10. Barbos. loc. comm. locupl. lib. 14. cap. 1. axiom. 5. in fin. & alii ibid. alleg.* Imò harum actionum transitionem nec per particulam taxativam contrahentis personæ adjectam impediri, docet post Tiraquell. *de retr. convent § 1. gl. 2. num 12. & gl. 6. n. 2. & seq.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. d. disp 28. th. 5. lit. B. pag. m. 943. in fin.* Dn. Carpz. *p. 2. const. 20 def. 2. per l. 8. § 4. ff. de pignor. action.* Hinc Dn. Scabini Lipsienses: Ob nun gleich in der Burgschafft verschreibung die Burgen allein sich Verpflichtet / und der Erben außtrucklich nicht gedacht worden / etc. So sein doch gleichwol die Erben nichts destoweniger in Burgschafft zur Zahlung verbunden. *apud. Dn. Carpzov. d. def. 2.* Præterea extenditur hæc regula, ut ex contractibus venientes actiones, etiam ob dolum defuncti in successores, & quidem in solidum, dentur. *l. 12. l. 49. ff. de O. & A l 7. §. 1. ff depos. l. 157. § 2 ff de R. I. & ibi Iacob Gothofred.* Et quamvis nonnulli hanc ampliationem restringant ad bonæ fidei contractus: *Wesenb. ad § 1. Instit. de perp. & temp. act. num. 3. Borcholt. ibid. num. 6. & 7. Iacob. Gothofr. ad l. 152. §. 3. ff. de R. I.* Verius tamen nobis

videtur contrarium; hanc nimirum ampliationem etiam ad ſtricti juris actiones pertinere. Generaliter ſiquidem ſcribit Ulpianus, *in l. 49. ff. de O. & A. Ex contractibus venientes actiones in heredes dantur, licet delictum quoq; verſetur. Et in d. l. 157. §. 2. ff de R I. In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum, quibus ſucceſſerant, non tantum in id quod pervenit, verum etiam in ſolidum tenentur:* h. e. unusquisq; pro ea parte, qua heres eſt. Nec dubitandum, ſi promiſſor dolo malo v. c. hominem occiderit, heredē ejus in ſolidū teneri. *arg. l. 23 ff de V O. Bachov. tr. de Action. diſp. 5. theſ. 4. pag. 168.* Hinc Papinianus *in l. 121. § fin. de V. O. ex facto Rei promittendi, doli ſtipulatio heredem ejus tenet, ſicut ex cæteris aliis contractibus, veluti mandati, depoſiti.* Neq; hiſce reſiſtit quod Ulpianus *in d. l. 12. & l. 49 ff. de O. & A.* tantum bonæ fidei actiones enumeret. Etenim unius incluſio non ſtatim eſt excluſio alterius. Et exempla non reſtringunt, ſed tantum illuſtrant regulam. Nec negotium nobis faceſſit *d. l. 152. §. ult. ff. de R. I.* ubi Ulpianus, *in contractibus*, inquit, *quibus doli præſtatio vel bona fides ineſt, heres in ſolidum tenetur.* Nam bona fides ibidem non accipitur oppoſitivè ad jus ſtrictum; ſed quatenus opponitur dolo, fraudi, & ſignificat dictorum veritatem & conſtantiam, quæ in omnibus contractibus neceſſaria eſt. *l. 4. C. de O. & A. l. 31. ff. depoſ. l. 59. §. 1. & mandat.* ita ut illius *l. 152. §. ult. de R. I.* hæc ſit ſententia. In contractibus, utpote in quibus bona fides præſtari, h. e. omnia candidè dici & dicta conſtanter ſervari atq; impleri, omnisq; dolus & fraus abeſſe debent, heredes quoq; in ſolidum tenentur. Alia noſtræ regulæ ampliatio habetur *in l. 47. ff. de act. empt. vend.*

THES. XXIV.

Sed limitatur prædicta Regula: Primò, ſi aliud inter partes conventum fuerit, ne ſcilicet actiones in heredes & ſimiles ſucceſſores tranſeant. Tunc enim actiones ipſo jure quidem transeunt in heredes, verum ſine effectu; eliduntur ſiquidem exceptione pacti; quæ heredibus conventis competit, agentibus verò obſtat. *l. 56. § 4. ff. de V. O. §. 3. Inſt. eod l. 44. §. 1. ff. de O. & A.* Et ita accipienda ſunt ea, quæ tradit Dn. Carpzov. *part. 2. l. F. conſt. 20. defin. 2. num. 1. & ſeqq.* Andr. Gail. *2. obſ 2. num. 19. in fin.* Hoc ipſum autem à fidejuſſoribus actum cenſe-

tur,

-tur, si conventum fuerit, ut, si unum è fidejussoribus mori contingat, in ejus locum alium substituat debitor. *Anton Hering. de fidejuss. cap. 20. §. 11. num. 60. Matth. Coler. de process. execut. part. 1. cap. 10. num. 319. Wesenb. part. 1. Consil. 14. num. 85.* quos sequitur *Dn. Carpzov. d. const. 20. defin. 5.* ubi hanc sententiam tali confirmat præjudicio. **Dieweil aber dennoch die Verschreibunge außdrucklichen dahin gerichtet / wann einer von den Bürgen mit todte abgehen würde / daß also denn der Schuldener an dessen stelle einen andern gewissen Bürgen verschaffen solle / etc. So mögen auch obbemeldte Erben / vielberührten ihres Vatern Bürgschafft halber / von euch beständiger weise nicht belanget werden.** Secundò limitatur d. Regula ratione objecti, quod personalibus actionibus petitur: si nimirum illud tale sit, quod à debitoris heredibus præstari, aut in heredes creditoris transire non possit. e. c. Actio qua agitur ad consequendum usumfructum promissũ, datur quidem adversus promissoris heredes, sed ad heredes creditoris non transit. Sicuti enim ususfructus morte usufructuarii extinguitur: *§. 3. Inst. de Usufr. l. 3. §. fin. ff. quib. mod. usufr. amit.* ita etiam actio personalis, quæ ad illum petendum competit, morte creditoris tollitur. *l. pen. pr. C. de Usufr.* Item si factum promissum personæ adhæreat & specialiter industria promissoris electa sit. *vid. l. unic. § 9. C. de caduc. tollend. l. 31. ff. de solut. Gail. 2. obs. 2. num. 19.* Tertiam exceptionem indicat Imperator in *§. 1. Instit. de perp. & temp. act.* hisce verbis: *Aliquando tamen etiam ex contractu actio contra heredem non competit; veluti* (hanc particulam Cujacius, Pacius & Frantzkius auctoritate quorundam Codicum delendam censent: quod tamen Vinnio necessarium non videtur. *vid. Riemer. decad. 14. quæst. 2.*) *cum testator dolosè versatus sit, & ad heredem ejus nihil ex eo dolo pervenit.* Sunt, qui hæc verba generaliter accipiunt, de omnibus actionibus ex contractu, in quo defunctus admisit dolum: sed malè, propter *l. 12. & l. 49. ff. de O. & A. l. 7. §. 1. ff depos. l. 157. §. fin ff. de R. I. Frantzk. in Comment. ff. tit. depos. num. 105. Riemer. d. loc.* Quas autem actiones Justinianus hic intelligat, de eo non omnium eadem est sententia. Nobis illorum placet opinio, qui illas hic excipi arbitrantur actiones, quæ quidem ex con-

contractu proveniunt, verùm ob delictum concurrens ex parte pœnales habentur, eò quod factum puniunt & in dolum conceptæ sunt. quod satis evidenter confirmant verba *d. l 7. § 1. ff. depos.* quæ hæc sunt: *Quanquam enim aliàs ex dolo defuncti non solemus teneri, nisi pro ea parte, quæ ad nos pervenit: tamen hic dolus ex contractu, NB reique persecutione descendit, ideoque in solidum unus heres tenetur; plures verò pro ea parte, qua quisque heres est.* Talis autem esse censetur actio Tributoria, quæ dolum malum domini coercet malitiosè in distribuendo versati, *l. 7. § 2 ibi: quæ actio dolum malum coercet domini. l. 8. ff. de tribut. act. Bachov. de action. disp. 5. thes 4.* Huc etiam communiter Dd. referunt actionem depositi miserabilis sive necessarii, h. e. tumultus, incendii, naufragii, vel ruinæ causa facti; quippe quæ adversus depositarium, qui dolosè versatus est in retinendo vel abnegando tali deposito datur in duplum, adversus verò heredem in simplum; unde respectu dupli dici potest, hanc actionem in heredem non dari in solidum; quamvis negari non possit, hoc exemplum non satis quadrare ad id, quod *d. §. 1.* dicitur. quia etiamsi nihil pervenerit, in simplum tamen adversus heredes competit. *l. 1. §. 1. l. 18. ff. deposit. Bachov d. disp. 5 th. 4. Vinn. ad d. §. 1. Inst. de perp. & temp. act. num. 7.* ubi ad has actiones etiam refert actionem in factum adversus falsum tutorem: verùm hanc actionem non ex contractu, sed ex delicto esse, docet Wesenb. *in parat. ff. quod fals tut. auct gest. esse dic. num. 4. & ibi Bachov.* Et hæc impræsentiarum dixisse sufficiant de Actionibus, quæ ex facto licito descendunt. Ordo jam afflagitat, ut accessum moliamur ad Actiones venientes ex factis illicitis, quæ uno vocabulo dicuntur Delicta.

THES. XXV.

Delicta verò in specie sic dicta, nihil aliud sunt, quàm facta illicita, immediatè extra ullius conventionis considerationem, contra legis prohibitionem spontè admissa, quibus quis vel ad aliquid patiendum vel præstandum adstringitur. *l. 4. & l. 25. §. 1. ff. de O. & A. Dn. Struv. Exercit. ad ff 39. th. 1.* Et hæc sunt vel Publica, vel Privata. Publica iterum sunt vel verè Publica, vel quasi Publica, & dicuntur Popularia. Delicta verè publica.

blica ſunt, quæ ob damnum Reipublicæ illatum legibus publicorum Judiciorum vindicantur, *l. 1. ff de publ. judic.* poteſtate accuſandi regulariter cuivis de populo conceſſa; § 1. *Inſt. de publ. judic. l. 43. § 10. ff. de R. N.* ut proinde fruſtra de hujusmodi Accuſationis tranſitione quæratur. Cum ipſa non in bonis ſit, nec ad privatum Accuſatoris intereſſe tendat: ſed ad publicam vindictam, etiam heredibus, ex propria perſona, & jure Civitatis, quatenus ejusdem Reipublicæ cives ſunt, competat, atq; per conſequens cum bonis ad ſucceſſores tranſire nequeat: *Perez. in Cod. tit. ſi reus vel accuſ. mort. fuerit. num. 1.* Adeo ut licet à defuncto Accuſatio inſtituta & lis conteſtata fuerit, ipſa tamen Accuſatoris morte aboleatur, *l. 3. § fin. ff. de accuſ. l. 10. pr ff. ad SCt. Turpill. l. fin. C. ſi reus vel accuſat. mort.* ita, ut ſi heres vel alius illam reſtaurare velit, novo proceſſu, libello novo & ſubſcriptione opus ſit. *l 3. §. fin. ff de accuſat. Bachov. ad Treutl vol. 2. diſp 31. th fin. lit. D. verſ morte accuſatoris.* Sicuti autem hæ accuſationes activè non tranſeunt in ſucceſſores: ita nec paſſivè adverſus illos etiam inchoatæ & cœptæ accuſationes regulariter transmittuntur; Cum crimen morte Rei cum pœna extingvatur. *l. 3. l. 5. l. fin. C ſi reus vel accuſ. mort. l. fin ff. ad L. Iul. Majeſt. l. 3. l. 6. ff de publ. judic.* Aliquando tamen etiam poſt mortem Rei cognitio criminis peragitur, ad hunc effectum, ut bona fiſco vindicentur, vel ab heredibus turpia lucra extorqueantur, aut pœnæ pecuniariæ exigantur; de quibus ut pluribus agamus, prohibet inſtituti noſtri & temporis ratio. Supra enim dictum eſt, nos hic acturos eſſe de tranſitione actionum in ſtrictiſsima ſignificatione acceptarum. De hiſce autem accuſationibus reſpectu ſucceſſorum, vid. Bachov. *ad Tr. d. vol. 2. diſp. 31. th ult. lit. D* Bened. Carpz. *tr. crimin. part. 3 quæſt. 131. num. 1. & ſeqq.* Perez. & Pac. *in Codic. tit. ſi reus vel accuſ. mort. fuer.* Farinac. *prax. crim. lib. 1. tit. 1. quæſt. 10.*

THES. XXVI.

Delictis verè Publicis ſuccedunt delicta quaſi Publica ſive Popularia; ex quibus oriuntur Actiones Populares, quæ ſuum jus Populo tuentur, *l 1. ff. de pop. act.* ac regulariter quoq; cuilibet de populo competunt. Publicæ namq; utilitatis quivis de populo vindex eſſe debet. Cum tamen plures agere volent, Prætor eligere ſolet magis idoneum, vel eum cujus maximè intereſt. *l. 2. & l 3.*

§. 1. *ff eod.* Sunt enim hæ actiones duplicis generis: in quibusdam privatus aliquis interesse suum habet; in quibusdã non habet: In illis semper præfertur is, cujus interest: *d. l. 3. §. 1. ff. d. t. l. 5. §. 5 ff. de his qui effud. vel dejec. l. 3. pr. l. 6 ff de sepulcr. viol.* hæ verò omnibus æqualiter propositæ sunt, unde etiam unicuivis è populo hac actione experiri permissum est. In heredes autem vel successores hæ actiones ante litem contestatam non transeunt; quod tam ex parte Actoris, quam Rei verum est. *l. fin. ff. de pop. act. l. 5. §. 5. vers. quæ autem ff. de his, qui effud. vel dejec.* Actoris successoribus hæ actiones propterea non dantur: quia in bonis ipsius non fuerunt ante litem contestatam, *l. 32. pr. ff. ad L. Falcid. juncta l. 12. pr. ff. de V. S.* Ergo nec cum bonis illius transmitti potuerunt. Et quãvis nonnulli reperiantur textus, in quibus dicatur, quod etiã actiones populares heredi similibusq; competant: prout hoc expressè affirmatur de actione, qua agitur adversus eum, qui eo in loco, quo vulgo iter fieri solet, aliquid positum aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere, *in d. l. 5. § ult. ff. de his qui effuder.* Item de actione sepulchri violati, *in l. 10. ff. sepul. violat.* attamen hoc non ita accipiendum, ac si ipsæ actiones in illos jure hereditario transirent, *vid. d. l. 5. §. 5.* sed heredibus competunt non jure hereditario sed jure Civitatis, quatenus ejusdem Reipublicæ cives sunt; aliis tamen præferuntur, si illis, quorum interserat, successerunt, quia heredes sunt. *Oldendorp. class 6. act. 20. num. 4. M. Lyclama lib. 3. benedict. cap. 15. & cap. 17. in pr. Dn. Frantz. in comment. ad ff. tit. de his, qui effud. num 6.* A parte Rei propterea Actiones Populares ante litem contestatam in successores non transeunt; quia hæ actiones pœnales sunt, & quidem ex delicto. *d. l. 5. §. 5. in med. ff. eod.* Jam verò nullæ actiones, quæ ex delicto oriuntur, & præsertim pœnales, ante litem contestatam in successores transeunt; *§. 1. Inst. de perp. & temp. act l. 1. pr. ff. de privat. delict.* quod in sequentibus pluribus demonstrabitur. Nec hanc nostram adsertionem infringit *l. unic. §. 10. ff. ne quid in flum. publ.* ubi dicitur, quod actio ex hoc interdicto competat adversus heredes ejus, qui impedit, vel facit aliquid in flumine, quo aliter aqua fluat, quam priori æstate fluxit. Nam patet ex præcedenti *§. 9. d. l.* quod hæc actio tantum adversus illum detur, qui denegat, vel facit ut aliter aqua flueret; Si itaq; successores & he-

redes pergant, continuare prohibitionem fluxus, & ipsi nunc quoque impediant, quò minus aqua ita flueret, quam priori æstate factum, illi hac actione non jure successionis & quatenus succedunt primo prohibenti, sed ex proprio facto & delicto, quatenus scilicet ipsi etiam hujus criminis reos se constituerunt, conveniri possunt. *Oldendorp. d. class. 6. act. 18. num. 5.* Tantum etiam de Actionibus, quæ ex delictis Publicis proveniunt.

THES. XXVII.

Seqvuntur Actiones ex delictis privatis descendentes. Dicuntur autem delicta privata, quæ in privatam personam committuntur, nec legibus publicorum judiciorum, & à quocunq; de populo, sed privata & civili actione ab eo, ad quem res principaliter pertinet, vindicantur. Transitio autē harū quoq; actionū consideratur vel respectu Creditoris activè, vel respectu Debitoris, quæ à Dd. quávis parū cōmode, Passiva dicitur. Quoad Creditorē & ejus Successores distinguendum est, An actiones competant pro rebus ablatis recuperandis, & vindicandis delictis, quibus aliquid ex patrimonio fuit ademptum; an verò proditæ sint pro vindicandis injuriis, personis illatis. *Bachov. in not. ad VVesenb. π. ff. de in jus vocand. n. 8. Dn. Iohan. Otto Tabor. racemat. crim. 1. th. 59.* Prioris generis actiones active h. e. in Creditoris heredes & similes successores transeunt. *l. 1 §. 1. ff. de privat. delict. §. 1. Inst. de perp. & temp. act.* Cujus rationem hanc assignat Bachovius, *tr. de Action. disp. 5. th. 5.* quoniam, inquit, per delictum (tale nimirum) de bonis defuncti aliquid diminutum est: & cum adeo bona minora alterius facto pervenerint ad heredes, meritò ipsis heredibus actio in ipsum Reum dari debet. Cum etiam hic cesset ratio, de mera personalitate obligationum ex delicto, quæ impediat repræsentationem in persona heredis Rei: quæ repræsentatio in persona heredum Actoris sive Creditoris commodè locum habet. cum nec rationis sit ut propter mortem alterius, delinquentis conditio melior fiat. Procedit autem hæc sententia, sive actiones per litis contestationem in Judicium fuerint deductæ, sive non. *d. §. 1. Inst. de perp. & temp. act.* Sive rei persecutoriæ; ut actio rerum amotarum, *l. 21. § 5. ff. rer. amot.* de alienatione judicii mutandi causa facta, *l. 4. § fin. ff de alienat. jud. mut. caus. fact.* sive mixtæ, i. e. partim pœnales, partim rei persecutoriæ, ut actio L. Aquiliæ, *l. 23. § 8. ff. ad L.*

ad L. Aquil. vi bonorum raptorum, *l. 2. §. fin. ff. vi bon rapt.* doli, *l. 13 pr. ff de dol. mal.* quod metus causa; *l. 16. §. 2. ff. quod met. caus.* sive merè pœnales sint, ut furti. *d. l. 1. §. 1. ff de priv. delict. l. 47. ff. de furt §. 1. Inst. de perp. & temp. act.* Nam & pœnales actiones in bonis computantur, & propterea cum aliis bonis ad heredes & similes successores transeunt. *l 32. pr ff. ad L. Falcid.* Contrarium, actiones nimirum pœnales heredibus non dari tradit Antonius Faber in Rational. *ad l. 4. ff. de Calumn.* quod etiam probare videtur Wesenb. *in π. ff. tit. de in jus vocand. num. 8. item tit ne vis fiat ei, qui in pos. num. 4.* in quibus, & aliis locis concludit, actionem heredibus non dari, quia pœnalis sit, quos eo nomine acriter reprehendit Bachov. *in not. ad VVesenb. d. t. de in jus vocand.* Et quamvis Wesenbecius ea excusari possit ratione, quod ipse Ulpianus eodem modo ratiocinetur in *l. 5. § 5 ff. de his, qui effud. vel dejec.* & rationes JCtorum quoq; non semper ab universali concludant. *vid. Dn. Iohan Otto Tabor ad VVesenb. disp. 4. quæst. 3. & in Racemat. crim. 1. th. 58. H. Hahn. ad VVesenb. tit. de in jus vocand. num. 8 verb. nec heredi.* Verissima tamen est prædicta nostra Regula, & ejus, quoad pœnales actiones, ampliatio, per jura & exempla supra adducta; quam etiam agnoscit Wesenb. *π. ff de privat. delict. num. 4. & tit. ne quis eum, qui in jus vocat. num. 4. ferè in fin.* Neq; illam destruit *l. 4. ff de Calumniat.* ubi actio in factum de calumniatoribus, heredibus competere negatur, sed illis dati repetitionem sufficere dicitur. Etenim exceptio non impugnat regulam; sed illam potius in casibus non exceptis confirmat. Multi autem illam actionem referunt ad posterioris generis actiones, quæ dantur ad vindicandam injuriam personis illatam. *Bachov. ad π. VVesenb. tit. de calumn. num. 4. lit. b. ibi: quia est ad vindictam, & aliquatenus similis actioni injuriarum: cæteroquin alias actiones, licet pœnales, heredibus damnum passis, dari, supra probavimus: ideoq; ratio Wesenb. num. 4. in fin. quod actio sit pœnalis, recta non est.* Verùm re penitius considerata, hoc exemplum ad hanc potius classem pertinere videtur. Datur enim hæc actio ob tale delictum, quo ut plurimum damnum bonis nostris est illatum; unde ipsa quoque (unico casu excepto) ad mixtas refertur actiones, quæ partim pœnæ, partim verò rei persicutoriæ sunt. *l. 5. §. 1. ff. de calumniat.* Aliam d. Regulæ exceptionem

vide

vide *in l. 9. in fin. ff. de relig. & sumpt. funer.* ubi actio in factum, quæ datur illi, qui prohibitus fuit inferre mortuum in eum locum, in quo ei jus inferendi competebat, heredibus & successoribus dari negatur. Cujus rationem JCtus ibidem non addit; sed ipse miratur, quod hæc actio heredi & successori non detur. Nec ab Interpretibus alia affertur ratio, quam quod ita Legislatori placuerit. Unde Gothofredus *ad d. l. 9.* & Vulteius, *ad § 1. Inst. de perpet. & temp. act.* existimant, in *all. l. 9.* exemplum contineri *l. 20. ff. de Legib.*

THES. XXVIII.

Posterioris generis Actiones, quæ nimirum pro vindicandis injuriis personis illatis competunt, ante litem contestatam morte injuriam passi extingvuntur, nec in heredem transmittuntur. Dantur enim ad meram vindictam, quam morientes remittere censentur. Et si ipsi, qui injuriam passi sunt, tacuerint, silentium eorum maneat semper: & non à posteritate suscitari concedatur. *arg l fin. in fin. C de revoc. donat.* Ad hanc classem pertinet primò, Actio Injuriarum, quæ ad meram tendit vindictam, *l. 2. §. 4 ff. de collat.* ac proinde per litis contestationem non præparata, morte injuriati tollitur, & in successores non transit. *§. 1. Inst. de perp. & temp. act l. 1. §. 1. ff. de privat. delict. l. 32. pr. ff. ad L. Falcid. l. 13. pr. l. 15. §. 14. l. 28. ff. de injur Oldendorp class. 7. act. 10. num. 4. Dn Carpzov. lib 3. respons 39. num 3. & in tr. crim. part. 2. quæst. 96. num. 25.* Idq; verum est, non tantum de Prætoria, sed & de Civili injuriarum actione, ex L. Cornelia competente. *arg dd. ll.* De Actione ad Palinodiam, qua moribus ad recantationem illatæ injuriæ agitur, num & illa ante litem contestatam morte injuriati extinguatur & in heredes ejus non transeat, haud levis existit dubitatio. Etenim in hac Actione cessat ratio, propter quam actiones injuriarum, jure Civili Justinianæo cognitæ, in heredes & similes successores non transeunt, sed injuriati morte extinguantur: quippe recantatoria actio non ad vindictam, sed ad famæ opinione vulgi læsæ restitutionem, sive illæsæ famæ declarationem, competit. Unde etiam à Dd. communiter ad rei persecutorias refertur actiones. *Dn. Benedict. Carpzov. part. 2. tr. crimin. quæst. 94. num. 15. & 62. Dn. Georg. Frantz. Exerc. 12. quæst. 8. num. 7. Bachov. in not ad π. Wesenb. tit. de injur. num. 18.*

verſ potius civiliter. Henr. Habn. ad Weſenb. d. t. pag. 713. Actiones autem rei perſecutoriæ, etiamſi ex delicto veniant, activè tamen in ſucceſſores tranſeunt. Atq; hanc ſententiam etiam defendit, *Harpr. ad § fin. Inſt. de injur. num. 82. & ſeqq.* ubi tanquam conſentientes laudat *Weſenb. & Halbritter.* Quamvis verò illud veriſſimum ſit, quod actiones injuriarum jure Civili competentes, heredibus injuriati ante litem conteſtatam mortui non dentur, ſed ipſius morte extinguantur; longe tamen diverſa eſt ratio in injuriis Senatui, Univerſitati & Collegio illatis, quæ per mortem unius vel alterius, aut etiam omnium, qui tempore illatæ injuriæ Univerſitati interfuerunt, neutiquam tolluntur; ſed actiones injuriarũ etiam ſucceſſoribus & noviter electis, licet lis nondum fuerit cõteſtata, competunt, ita ut illi injuriã collegio antea illatã vindicare poſſint: quippe non perſonis ſive membris, ſed ipſis collegiis injuria facta eſſe cenſetur. Ejusmodi autem collegia ſemper eadem permanere exiſtimantur, licet omnes perſonæ mutatæ fuerint. *l. 76. ff de judic. Harprecht ad §. 2. Inſt de injur. num. 39. & ſeqq. Dn. Carpzov. lib. 3. reſponſ. 65.* Et hæc de Actionibus injuriarum.

THES. XXIX.

Secundò ad hanc ſpeciem Actionum, quæ tantùm habent vindictæ perſecutionem, etiam pertinet, Actio in factum, quæ datur adverſus liberos vel libertos, qui obliti honeſtatis & naturalis reverentiæ, parentes vel patronos ſine venia & permiſſu Prætoris in jus vocarunt. *l. pen ff. de in jus vocand.* Nam & hæc actio competit ob injuriam perſonæ illatam, & tendit ad meram vindictam. Tertiò, Actio qua donator ob donatarii ingratitudinem agit ad donationis revocationem. *l. 1. l. 7. fin. C. de revoc. donat.* Hanc enim actionem Impp. Conſtantinus & Conſtantius ita perſonalem eſſe voluerunt, ut vindictæ & ultionis tantùm habeat effectum, adeo ut nec heredi tribuatur, ſed ad exemplum actionis injuriarum morte donatarii injuria affecti extinguatur. *d. l. 7. & ibi Gothofred. Cujac. lib. 4 obſerv. cap. 19. Dn. Ioh. Otto Tabor racemat. crim. 1. th. 54. vid. Bocer. tr. de donat. cap. 3. num. 96.* ubi ad contraria Donelli argumenta reſpondet. Quartò, ex Jure antiquo huc referri poteſt actio de moribus. *l. 1. C. Theod. de dotib* quæ ita habet: *De moribus actio ultra perſonam extendi non poteſt, nec in*

heredem

heredem dabitur, nec tribuetur heredi: quo etiam facere videtur, §. *l. 15. § 1. ff sol. matr.* quæ tamen actio hodie constitutione Justiniani est antiquata, *in l. unic. §. 5 C. de rei uxor. act. Vult. ad §. 1. Inst de perpet. & temp. act. num. 17. Harprecht ad eund. §. num. 24. Bachov. disp 5. de act. th. 5. in fin.*

THES XXX.

Enimvero si prædictæ actiones pro vindicandis injuriis & ad meram vindictam competentes, per litis contestationem præparatæ & in judicium deductæ fuerint, quin tunc in successores quoque Actoris transeant, nullum est dubium, propter textum, eundemq; expressum, *in l. 13. pr. ibi: semel autem lite contestata, hanc actionem* (loquitur autem de actione injuriarum) *etiam ad successores pertinere. l. 28. ff. de injur.* Et generaliter scribit Imp. Justinianus, *in §. 1. in fin. Inst. de perp. & temp. act. Pœnales autem actiones, quas supra diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ, & heredibus dantur, & contra heredes transeunt.* Unde etiam Ulpianus, *omnes,* inquit, *pœnales actiones post litem inchoatam etiam ad heredes transeunt. l. 26. ff de O. & A.* Idem quoq; in specie de Actione injuriarum recantatoria affirmat Benedictus Carpzovius, *in l. F. part. 4 const. 42. def. 12. num. 5.* ibi: *post litis namq; contestationem,* inquit, *res amplius integra non est, sed lis perpetuatur, ita ut possint eam heredes persequi, non tantum propter sumptus litis, sed etiam ob persecutionem palinodiæ & mulctæ.* Et *tr. crimin. part. 2. quæst. 96. num 26.* ait, *quare defuncto injuriato, Reus postea condemnatus, nihilominus palinodiam præstare debet. Etsi enim ipsemet injuriatus obierit, ejusdem fama tamen nondum interiit; quam restitui, non modo defuncti, sed & heredum interest. Eapropter etiam Reus condemnari solet ad præstandam palinodiam tàm ipsi defuncto, quàm heredibus.* Hinc Dn. Scabini Lipsienses apud eundem Dn Carpz. *d. def. 12. in fin.* Das der proceß von Klägern zur nothturfft reassumiret, und haben Klägere beklagte wegen ihres beharlichen ungehorsambs/ nunmehr biß auff die hülffe erstanden und erlanget/derowegen ist sie der Verstorbenen A. S. Und nunmehr nach derselben Todt/ klägern alß ihrem Manne und Tochter/ wegen der gedachten A. S. zugefügten Injurien, einen öffentlichen Wiederruff vor Gerichte zu thun schuldig. Deinde si injuria Defuncto post mortem, ante tamen hereditatis aditionem, fuerit illata, hereditati,

quæ interim repræsentat personam defuncti, actio injuriarum acquiritur; quæ postea cum hereditate ad heredem transit, *l. 1. §. 6. ff de injur* Ast si post hereditatis aditionem facta fuerit defuncto injuria, heres suo nomine habet injuriarum actionem. Heredi enim quodammodo facta videtur; siquidem semper ipsius interest, defuncti existimationem purgare. *d l. 1. § 4 & 6. ff. de injur.* In sententia condemnatoria tamen, hoc quoq; in casu, defuncti mentio fieri solet, uti apparet ex Responso Dn. Scabinorum quod extat apud Dn. Carpz. *d. quæst. 96. num 50.* hujus tenoris: **Hat sich N. W L. Wittib vor sich und von wegen jhres Sohnes vber G. C. beklaget / daß er ietzo gedachten ihren Verstorbnen Ehemann / in einer Bierzechen geschmähet / und gesaget / Es were ihme zu Dreßden der Kopff abgeschlagen worden / da er doch daselbsten eines natürlichen Todes gestorben / etc. Ob er muhn gleich vorgewendet / daß er solches von einem anderen zu Zeitz gehöret / So ist er dennoch solches seines Vorwendens ungeacht / dem Verstorbenen und seiner nachgelassenen Wittiben / und Sohne einen offentlichen Wiederruff vor Gericht zu thun schuldig / und mag hierüber willkührlich / mit Gefängnüß / oder umb eine zimliche Geltbusse / seinen vermögen nach / in Straffe genommen werden / V R W.**

THES. XXXI.

Hactenus de Transitione Actionum ex privatis delictis descendentium, respectu Actoris. Veniamus ad alterum membrum, respectu nimirum Rei, ejusdemq; heredum; an & quatenus scilicet hæ actiones adversus illos transeant: ubi distinguendum, an nondum in judicium deductæ; an verò à defuncto jamjam fuerint contestatæ. Priori casu; Certissima est Juris Regula: Actiones ex delicto descendentes ante litē contestatam adversus heredes & similes successores nō transire, sed morte delinquentis extingui. §. 1. *Inst. de perp. & temp. act. l. 1. §. 2. ff. de priv. delict.* ubi generaliter scribit Ulpianus: *non tantum in furti, verùm in cæteris quoq; actionibus, quæ ex delictis oriuntur, sive civiles sunt sive honorariæ, id placet, ut noxa caput sequatur. l. 4. §. fin. & ll. seqq. ff. de alien. judic. mut. caus fact.* Ratio hujus Regulæ habetur in ultimis *d. l. 1. §. 2.* verbis, *ibi: ut noxa caput sequatur.* h. e. ut delictum, & obligatio, & actio exinde descendens autorem

suum

suum sequatur. *Dn. Ioh. Otto Tabor racem. crim. 1. thes. 48.* sive ut Bachovius illam declarat: *quia delictum ita afficit personam delinquentis, ut extra illam, & ab ea, relatio illa transferri & transire non possit, ne quidem in heredem & cæteros successores, qui licet succedant in universum jus defuncti, adeoq; in actiones passivas; tamen delictorum successores non efficiuntur, nec ratione delictorum, propter eorum personalitem defunctum repræsentant; qua repræsentatione denegata, necessario quoq; negatur jus agendi contra successores. Bachov. tr. de action. disp. 5. th.* 4. ubi hanc regulam etiam extendit ad quasi delicta. *§. fin. in fin. Inst. de oblig. quæ ex quasi delict. l. 15. cum l. seq ff de judic l. ult. § fin. ff. nautæ, caup. stabul. l. 5. §. 5. ff. de his qui effud. vel dejec. Iacob. Gothofred. ad l. 38. ff. de R. I.*

THES. XXXII.

Cum verò Actiones ex delictis descendentes non unius ejusdemque sint generis; sunt enim vel Pœnales, vel Mixtæ, vel Rei persecutoriæ; ea propter an d. Regula in omnibus locum habeat, paucis videamus. De Pœnalibus res caret contraversia; siquidem illas ad successores ante litem contestatam non transire, quàm plurimi textus manifestè probant. *§. 1. Inst. de perp. & temp. act. l. 1. pr. ff de priv. delict. l. 38. l. 111. §. 1 ff de R I.* Unde etiam Marcellus generaliter scribit, *heres in pœnam non succedit, l. 22. ff. de nov. oper. nunciat.* Et Impp. Arcadius & Honorius, *sancimus*, inquiunt, *ibi esse pœnam, ubi & noxia est, peccata igitur suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. l. 22. C. de pœn.* Illustratur hæc regula exemplo Actionis furti, *d. §. 1. Inst. de perp. & temp. act. l. 1. ff de privat. delict. l. 15. C. de furt.* injuriarum, *l. 13. pr. ff. de injur.* actionis in factum de non in jus vocand. *l. 24. ff. de in jus vocnnd &c.* Neq; impugnat hanc regulam *l. 3. § 5 ff quod quisq; jur. in alium statuer.* ubi dicitur, quod pœna transeat in heredem, cui & ipsi propter jus iniqvum à defuncto impetratum actio denegatur. Etenim respondeo, proprie pœnam non esse, si quis eodem jure utatur, quod in alterius persona æquum putavit. Deinde actiones, eo ipso dum illarum dominus novum jus constituit vel impetravit, quodammodo afficiuntur & qualitatem accipiunt, cum qua in successores transeunt. *Bachov. tr. de action. disp 5. th. 4. Henr. Hahn. ad Wesenb. tit. quod quisq; jur. num. 2. versic. in heredes tamen. Iacob. Gothofred. ad l. 38. ff. de R. I. ibi: quæ (actio scilicet) ad heredem suo cum nævo adfecta transit.*

transit, & ideo heres ibi ad eandem normam formamq; qua defunctus redigitur in actione hereditaria exercenda: quæ utiq; ex persona heredum non immutatur. *l. 2. § 2. ff. de V. O.* Atq; prædicta regula, quoad pœnales actiones ampliatur, ut procedat; etiamsi ad successores aliquid pervenit. Generaliter enim passim in jure dicitur, quod pœnales actiones ante litem contestatam morte Rei extinguantur, nec contra heredes competant. *l. 32. pr. ff. ad L. Falcid. d l. 1. princ. ff. de priv. delict. d. l. 22. ff. de nov. oper. nunc. d. l. 22. C de pœn.* Quamvis enim, quod scelere quæsitum est, nec heredi relinquendum sit; sed turpia lucra etiam successoribus extorquenda sint. *l. 5. ff. de calumn. l. 16. ff quod met. caus. l. 12. ff. ad L. Corn. de falsis. l 38. ff de R. I.* hoc tamen fieri non potest per actionem merè pœnalem; quâ tantum petitur & exigitur pœna; quæ morte rei jam est extincta, *d. l. 16. ibi: licet pœna ad heredem non transeat.* A quocunq; itaq; nulla exigi potest pœna, contra illum non datur actio mere pœnalis; atqui ab herede, ad quem aliquid ex delicto pervenit, nulla exigi potest pœna; ergo contra illum non datur actio mere pœnalis. Et contradictionem implicare videtur, dicere, actionem mere pœnalem competere ad id, quod nostro abest patrimonio. Aliæ enim præsto sunt actiones, quibus turpe illud lucrum ab heredibus extorquendum, tàm præparatoriæ, quàm principales; puto, actio ad exhibendum, Rei vindicatio, condictio: quod in specie Ulpianus docet de actione furti; illam nimirum adversus heredes non transire, sed contra illos, quatenus aliquid vel verè vel fictè possident, actione ad exhibendum & Rei vindicatione, vel condictione furtiva agendum esse. *d. l. 1. ff. de privat. delict.* Idem quoq; probat Amplissimus Dn. Joh. Otto Tabor *racemat. crim. 7. thes 23. pag. 370. membr mere pœnales. Cujac. ad l. 38. ff de R I. M. Lyclama lib. 1. benedict. cap. 14. & 15.* ubi late hanc sententiam contra Anton. Fabrum defendit.

THES. XXXIII.

Mixtas actiones, quæ scilicet & rei, & pœnæ habent persecutionem, passivè, h. e. adversus heredes Rei, regulariter non transire, probat §. *1. Inst. de perp. & temp. act. l. 111. § 1. ff de R. I.* ubi prædictæ Regulæ etiam exempla mixtarum actionum subjiciuntur: ut, actio damni culpa dati, & vi bonorum raptorum. *Est enim certissima juris regula*, inquit Justinianus, *d. §. 1. ex maleficiis pœnales actiones in heredem Rei non competere; veluti furti, vi bonorum raptorum,*

rum, injuriarum, damni, injuria. Hinc Ulpianus, *in l. 23. §. 8. ff. ad L. Aquil.* de Actione ex L. Aquilia primò hanc ponit regulam: *sed in heredem & cateros hac actio non dabitur* Et denique statim subjicit exceptionem; quæ regulam contrariam præsupponit, illamque in casibus non exceptis confirmat. Idem quoque comprobat *l. 13. ff. de serv. corrupt. l. 2. §. fin ff. vi bon. rapt. l. 7. §. 6. ff. arbor. furt. cæsar. l 111. ff. de R. I. §. 1. Inst. de perp. & temp. act.* Verùm quoad has mixtas actiones regula limitatur, si aliquid ex delicto ad successores pervenerit; pro cujus quantitate etiam hæ actiones, quatenus rei persecutionem continent, ex æquitate, adversus Rei, ante litem contestatam mortui, heredes conceduntur. *d. l. 23. §. 8.* ibi: *nisi forte ex damno locupletior heres factus sit. ff ad L. Aquil. l. 5. ff. de Calumn. l. 4. in fin. ff. de incend. ruin. naufrag.* Ne ipsi contra naturalē rationem, cum alterius damno fiant locupletiores. *l 14. ff. de condict. indeb. l. 206. ff. de R. I. Iohan. à Sande ad l. 38. ff. de R. I.* Quando autem in ll. supra adductis dicitur, heredes hisce actionibus conveniri posse, in quantum ad illos pervenit; hoc ipsum non referendum est ad totam hereditatem; sed ad ipsum delictum; ut sensus sit, teneri heredes in tantum, seu hactenus, quatenus ex delicto ad eos pervenit. *d. l. 23. §. 8. ff. ad L. Aquil.* h. e. quatenus ad eos locupletior ex delicto hereditas delata est. *l. 26. ff. de dol. mal. d. l. 5. pr ff. de calumn Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 30. thes. 4. lit. A. & disp. 5. de Action. thes. 4.* Ad successores autem aliquid pervenisse intelligitur, non tantùm si directè res ipsa per delictum quæsita cum hereditate in heredem transierit: sed etiam si per consequentiam propter delictum hereditas pinguior, quàm fuisset sine delicto, ad illos pervenit: veluti si quis, dum rem furtivam consumit, de propriis rebus nihil erogavit, sed illas interim comparsit, ac ita effecit, ut plus pervenerit ad successorem, quàm aliàs perventurum fuisset, si has res furtivas non habuisset. *Suhard. ad l. unic. C. ex delict. defunct. num. 21. Bachov d. thes 4. in fin.* Nec interest, an revera aliquid ad successorem pervenit; an verò dolo ipsius factum sit, quò minus perveniret. *l. 27. ff. de dol mal.* sufficitq; si semel vel momento ad primum heredem vel successorem delinquentis pervenit; licet non duravit, nec ad secundum heredem vel successorem quicquam ex hoc delicto translatum fuit. *l. 17. ff. de eo quod met. caus l. 127. ff. de R. I.* Dummodo ejus facto res postea interjerit: Nam si fato, aut casu majore periit, absolve- 445

tur. *l. 14. §. 5. & l. 18. ff. quod met. caus. Ioh. Otto Tabor. racemat. crim. 7. thes. 23. pag. 371. in fin. Sande ad d. l. 38. de R. I.*

THES. XXXIV.

Sed hæc, quæ hactenus dicta sunt, quod scilicet actiones pœnales mixtæ in successores pasſivè transeant, si aliquid ex delicto defuncti ad ipsos pervenit, patiuntur exceptionem in actione vi bonorum raptorum; quæ quamvis mixta sit, *princ. Inst. vi bon. rapt. §. 19. Inst. de action.* tamen singulariter à Prætore est introductum, ut ea adversus successores, ne in id quidem, quod ad eos pervenit, detur. *l. 2. §. ult. ff. vi bon. rapt.* Idq; ex hac ratione: quia putavit Prætor, damnum pasſo sufficere condictionem furtivam; *d. l. 2. Oldendorp. clas. 7. act. 9. num. 4.* Quam tamen rationem nonnulli ut insufficientem reiiciunt, moti *l 5. ff. de calumn.* ubi Prætor nihilominus dat actionem in factum ex edicto de calumniatoribus in successores calumniatoris de eo, quod ad illos pervenit; quamvis jam antea propterea in eos sit prodita actio, nempe condictio ob turpem causam. *d. l. 5.* Rationem diversitatis Græci *in lib. 60. Basil. tit. 17.* hanc asſignant: teste Vultejo *ad §. 1. Inst. de de perpet. & temp. act. num. 14.* quod actio vi bonorum raptorum sit famosa in eum, qui vi rapuit; & quamvis in ejus successores ipso jure famosa non sit; tamen illã nomen famosum habere, ut vel ex ipso nomine videatur quodammodò successoris fama sugillari, ac proindè illam in successores dari non debere; cum adhuc alia non famosa actio, condictio scilicet furtiva, supersit; cui potius locus esse debeat, quàm illi actioni, qua innocentis successoris fama aliquo modo sugillatur. *l. 1. § 4. l. 7. §. 1. 2. & 3. ff. de dol. mal. juncta l. 26. ff. de O. & A.* Sed actionem in factum de calumniatoribus famosam non esse, & idcirco in successores dari posse. Verùm quia Cujac. hanc differentiæ rationem colorem magis habere dicit, quàm discrimen solidum: noviter Dn. Joh. Otto Tabor aliam, & quidem hanc substituit differentiæ rationem: quod condictio ob turpem causam non semper concurrat cum actione in factum de calumniatoribus; sed tum demum, si sola turpitudo accipientis versetur; *d. l. 5. §. 1. ff. de calumn.* Condictio autem furtiva semper damnum pasſo & ejus successoribus concedatur. *d. racemat. 7. thes. 23. pag. 372. circa fin.*

THES.

THES. XXXV.

De Rei persecutoriis, quibus nimirum persequimur quod nostro abest patrimonio, *l. 35. ff. de O & A. vid. Vinn. ad §. 17. Inst. de action.* an in illis locum habeat prædicta nostra Regula, magna est inter Doctores controversia. Negativam sententiam amplectitur *Iacob. Gothofredus ad l. 111. ff. de R. I. Arnoldus Vinnius ad §. 1. Inst. de perpet. & tempor. act. num. 2. Antonius Faber lib 4. conjectur. cap. 1.* qui de hisce Actionibus plane aliam priori contrariam exstruunt regulam: nimirum Actiones Rei persecutorias ex delicto venientes adversus heredes in solidum competere, etiamsi ad illos nihil pervenerit. Sed etiam in hisce actionibus regulam nostram procedere, defendit Hartman. Pistor. *part. 1. quæst. 27. Bachov. tr. de Action. disp. 4. th. 21. pag. 154. & passim in suis notis ad Wesenb. Dn. Benedict. Carpzov. in I. F. part. 4. constit. 12. defin. 9. & lib. 3. Respons. 38. num. 7. Dn. Ioh. Otto Tabor. racemat. crimin. 7. thes. 23. pag. 373. Sand. ad l. 38 de R. I.* Nam ratio, quæ harum actionum transitionem impedit, personalitas sc. delicti, quâ excluditur repræsentatio defuncti, in hisce æque ac in præcedentibus locum habet actionibus. Proinde Ulpianus, in *l. 4 § fin. ff. de alien. judic. mut. caus. fact.* actionem in factum de alienatione judicii mutandi causa, licet ipsa rei persecutoria sit, in heredem tamen competere negat; nulla alia ex causa, quàm quia ex delicto dari videtur, docente ipso Cajo JCto, *in seq. l. 7. ff. eod.* hisce verbis: *quia pertinet quidem ad rei persecutionem, videtur autem ex delicto dari.* Et Impp. Diocletianus & Maximianus generaliter rescribunt, juris absolutissimi esse, successores delinquentium post litem contestatam in solidum, antea verò in quantum ad eos pervenit tantum teneri. *l un. C. ex delict. defunct. in quant. hered.* Sic etiam JCtus Ulpianus: *toties,* inquit, *in heredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur. l. 44. ff. de R. I.* & in *l. 3. pr. ff. de vi & vi armat. quia ex facinoribus defunctorum de eo, quod ad heredem pervenit, actio datur, sufficit enim non in lucro versari eum heredem, non etiam damnum subire.* Hinc Actio rerum amotarum, licet sit rei persecutoria, quia tamen ex delicto oritur, eapropter contra heredes, nisi in quantum ex delicto ad illas pervenit, non datur. *l. fin C rer. amotar.* Alia exempla vide in *l. 1. § fin. l. 3. pr. & § fin. ff de vi & vi armat. l. 17. § fin. l. 26. ff. de dol. mal. vide etiam l. 16. §. 2 ff quod*

met. cauſ. Diſſentientes primò moventur. *l. 9. ff. de condict. furt. §. fin. Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſc.* in quibus condictio furtiva in ſolidū contra heredes conceditur. R. (1.) *dd. ll.* non probare Regulam noſtræ contrariam; ſed tantùm exemplum à regula noſtra exceptum; quod non impugnat regulam, ſed in caſibus non exceptis illam potius confirmat. *Dn. Ioh. Otto Tabor d. Racemat. 7. th. 23. pag. 373 Sande ad l. 38. verſ. verùm excipitur.* (2.) Reſpondet Bachovius, hanc condictionem furtivam irregularem & extraordinariam eſſe actionem, quæ quidem ob delictum datur, ſed non ex illo naſcitur; ita, ut delictum tantùm ſit cauſa ſine qua non, hujus actionis, non autem vera cauſa efficiens. *Bach. in not ad Weſenb. de condict. furt. num. 7. & tr. de Action. diſput. 4. theſ 21. Henr. Hahn ad Weſenb. d. l.* Secundò moventur Diſſentientes, exemplo actionis rerum amotarum, quam in ſolidum contra heredes dari exiſtimant, per *l. 6. §. 4. ff. rer. amot.* ubi ſimpliciter dicitur, hac actione heredem quoque teneri. Atqui, inquit Vinnius *ad §. 1. Inſt. de perpet. & temp. act. num. 2.* quotiescunque actio ſimpliciter in heredem dari dicitur, toties intelligitur dari in ſolidum. Verùm hanc conſequentiam ſatis infirmat *l 13. pr. ff. de dol. mal.* ubi etiam ſimpliciter dicitur adverſus heredem actionem doli competere; illam tamen contra heredes non in ſolidum, ſed tantùm de eo, quod ad illos ex delicto pervenit, dari, ipſe Vinnius *d. l. num. 4.* & quidem recte docet, propter *l. 17. §. 1. l. 26 ff. de dol. mal.* Tertia diſſentientium ratio eſt, quia in *l. 1. ff. de privat. delict. l. 38. l. 111. §. 1. ff. de R. I. l. 23. §. 8. ff. ad L. Aquil l. pen. ff. de oper. nov. nunciat.* tantum ſit mentio pœnalium ex maleficiis deſcendentium actionum. Sed R. hoc propterea fieri, quia in his ratio eſt apertior & certior. Unius autem incluſio non ſtatim eſt excluſio alterius. Et textus, id quod magis certum & apertum aſſerens, non illicò negat, quod non ita evidens eſt; præſertim cum in *dd. ll.* nulla reperiatur particula taxativa. Nec credendum eſt, Ulpianum & Cajum in *d. l. 1. ff. de priv. delict. d. l. 23. §. 8 ff. ad L. Aquil. d. l 111. ff. de R. I.* rei perſecutorias ab illa regula excludere voluiſſe; cum ipſi aliter mentem ſuam explicaverint, in *d. l. 4. in fin. & l. 7. ff. de alien judic. mut. cauſ. l. 44. ff. de R. I. d. l. 1. § fin. l. 3 §. 1. & §. fin. ff. de vi & vi armat.* ubi idem de rei perſecutoriis affirmant. Lex itaque cum lege conjungenda. *l. unic. C. de inoffic. dot.* Quartò urgent *§. 9. in fin.*

Inſt.

Inst. ad L. Aquil. R. illam rationem particularem esse, nec credibile est, Imperatorem tot expressos Juris textus & rationes per illam singularem argumentationem mutare voluisse. Notum enim est, rationes JCtorum non semper ab universali primo concludere. *Cujac. in recit. ad tit. Cod. de quaest. pag. 1503.* Et rationes juris non semper sunt apodicticae. *Dn. Ioh. Otto Tabor d. Racemat. 7. th. 23. pag. 372. Bachov. ad §. ult. Inst. de obligat. quae ex delict. num. 3.* Quintò pro contraria regula adducit *Iacob. Gothofredus l. 8. l. 11. §. 3. l. 14. ff. de publican. & vectig.* Sed ibidẽ dominium commissarũ rerum ipso jure amittitur & fisco acquiritur, qui proinde ejus persecutionem contra heredem, aut quemlibet possessorem habet. *d. l. 14.* Caeterum limitatur nostra regula aeque in his, ac in mixtis actionibus, si aliquid ad heredes pervenerit, in tantum enim ex bono & aequo adversus illos hae actiones conceduntur. *l. unic. C. ex delict. defunct. & ll. supra adduct. vid. Bachov. tr. de Action. disp. 5. thes. 4. pag. 167. vers. nam quod tenentur.*

THES. XXXVI.

Et haec de Transitione Actionum ex delictis privatis descendentium, ante litem contestatam. Restat ut nunc etiam videamus, an & quatenus illae Actiones ad successores transeant, si jam contestatae & per litis contestationem in judicium deductae fuerint. De quibus generalis & verissima est regula, illas tunc in solidum contra heredis transire; idq; sive sint civiles, sive praetoriae; poenales, mixtae, sive rei persecutoriae. *§. 1. Inst. de perp. & temp. act. l unic. C. ex delict. defunct. l. 13. pr. l. 28. ff. de injur. l. 26. l. 58. ff. de O. & A. l. 26. l. 87. l. 139. pr. l. 164. ff. de R. I.* Nam per litis contestationem inducitur quaedam quasi novatio, & ex nova causa incipit tẽneri Reus, *arg. l. 3 §. 11. ff. de pecul Bachov. d. disp. 5. th. 4. Sand. ad d. l. 87. ff. de R. I.* Nonnulli ab hac regula excipiunt actionẽ recantatoriam, docentes, illam nec post litem contestatam transire adversus successores, sed morte Rei extingui; ejusq; hanc assignant rationem: quia haec actio poenalis est & famosa. Verùm enim verò, huic rationi quanta vis insit, ex iis, quae jam dicta sunt, satis superq; apparet. Nam actiones furti, injuriarum, vi bonorum raptorum, poenales & famosas esse, indubitati juris est; illas tamen omnes post litis contestationem ad heredes transire, expressis verbis probat Imp. *in d. §. 1. Inst. de perp. &*

447

temp. act. Imò generaliter respondet Ulpianus in *l. 26. ff. de O. & A.* & Paulus *in l. 164. ff. de R. I. Omnes pœnales actiones post litem inchoatam & ad heredes transeunt*, & Callistratus *in l. 58. ff de O & A. Sciendum est, ex omnibus causis lites contestatas & in heredem similesq; personas transire* Idē JCtus Cajus: *Omnes actiones quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio salvæ permanent. l. 139 ff. de R. I.* Deinde ipsa quoq; ratio dubia, imo falsa est. quippe actionem recantatoriam non pœnalem esse, sed magis ad naturam rei persecutoriæ actionis accedere ostendit. *Dn. Benedictus Carpzovius part. 2. quæst. 94. num. 15. & 62. Dn Frantzk Exerc. 12. quæst 8. num. 7. Bachov. ad Wesenb. π. tit. de injur num. 18. vers. potius civiliter, & ibi H. Habn. p. 713 & seqq.* Tendit enim hæc actio non ad vindictam, sed ad damni quodammodo dati restitutionem, ut nimirum injurians recantando fateatur, se injustè convicium dixisse, & verbis contrariis honorem suo modo retribuat. Apud vulgum namq; injuriam passi fama non parum sugillatur. Nec magis certum est alterum d. rationis membrum, hanc scilicet actionem esse famosam. Contrarium enim docet *Wesenbecius consil. 22. num. 25. Mynsing consil. 60. num 15. Harprecht ad § 10 Inst. de injur. num. 109. & seqq Dn. Carpzovius part. 2. pract. crimin quæst 94. num. 65.* cui & nos adstipulamur. Ea propter cum Dissentientium ratio nec vera nec concludens sit; & in *l 58 ff de O & A* ac aliis juris textibus generaliter dicatur, lites contestatas ex omnibus causis in heredes, qui in locū defuncti succedunt, illumq; repræsentant, & cum ipso una eademq; persona esse censentur, *l 34 ff. de judic. Nov 48. in præfat.* transire; affirmativa sententia juris analogiæ haud videtur contraria; secundū quā etiā pronunciavit Facultas Juridica Lipsiensis: hisce verbis: Daß beklagte an Stadt und von wegen ihres Vaters und respective Großvaters vor Gerichte klägeren der beklagten injurien halben einen offentlichen Wiederruff zuthun / 100. Gülden straff zu milden sachen anzuwenden / zuentrichten / auch die Unkosten auff vorgehende liquidation, und Richterliche moderation zu erstatten schuldig / V. R. W. apud Dn. Christoph. Philipp. Richter. *part. 1. decis. 55. num. 22.*

THES. XXXVII.

Sed hoc, quod dictum est, omnes sc. Actiones ex delictis privatis descendentes post litem contestatum in successores transire,,

ire, intelligendum est de actionibus civilibus, ad pœnam ipsi parti applicandam intentatis; In quo omnes Interpretes consentiunt. Si verò ob delicta privata agatur criminaliter, communiter hoc ipsum indistinctè negant; prout videre est apud Farinacium *prax. crim. lib. 1. tit. 1. quæst. 10. num. 54. in princ.* Sed cum nulla appareat ratio diversitatis quoad hanc causam, inter pœnam fisco applicandam, & pœnam applicandam parti, ac *l. 26. l. 58. ff. de O. & A. l. 139. pr. l. 164. ff. de R. I.* generaliter loquantur: verissimum existimo, eo etiam casu, ubi criminaliter agitur ad pœnam pecuniariam fisco applicandam, actiones ex privatis delictis descendentes, post litem contestatam in successores transire; quo etiam facit præjudicium præcedenti thes. adductum. Cæterum si criminaliter ad pœnam corporalem delinquenti infligendam ageretur, lis, quantumvis contestata, in successores non transit, sed cum persona delinquentis simul exspirat: quippe ejusmodi pœnæ corporis afflictivæ nullo tempore ad successores transeunt. *Sichard. ad l. unic. C. ex delict. defunct. num. 6 & 7.*

THES. XXXVIII.

Illud autem, quod post litem contestatam Actiones ex delicto in successores transeant, non tantum procedit, si vera; sed etiam si ficta litis contestatio intercesserit, h. e. si lis pro contestata habeatur. Nam si per subterfugia & cavillationes Rei stet, quò minus is litem contestetur, & ita per calumniam differat litis contestationem, lis, quoad hunc effectum transmissionis actionum, pro contestata habetur, atque in successores continuatur: modò Actor in mora non fuerit, sed ex sua parte omnia fecerit, quæ pertinerent ad litem contestandam. Iniquum enim esset, ut fraus atque calumnia adversarii noceret ei, qui in persequendo jure suo diligens ac vigilans fuit. Et huc facere videtur *l. 33. ff. de O & A. l. 10. §. 2. ff. si quis caut. in judic. sistend.* Pluribus hoc demonstrat *Hartm. Pistor. part. 1. quæst. 27. num 7. & 8. Farinac. d. quæst. 10. num. 51. Dn. Carpzov. lib. 3. Respons. 39. num. 21. & in I. F. part. 4. const. 12. defin. 9. num. 7. & 8.* Et hoc ipsum eò magis procedere existimat Sichardus *ad l. unic. C. ex delict. defunct. num. 16. & 17.* si Judex in bona, ita contumaciter & malitiosè absentis, missionem ex primo decreto fecerit. Hoc enim primum decretum dicitur habere vim litis contestatæ, ita, ut mortuo isto

Ioh. Otto Tabor Racemat. crim. 7. thes. 23. pag. 372. & seq Gail. 1. de pac. publ. cap. 20. num. 22. Fachin. lib. 9. controv. cap. 5. Iul. Clarus lib. 4. recept. sentent. quæst. 51. num. 16. Farinac. d. l. 1. tit. 1. quæst. 10. num. 60. Georg. Schultz ad §. 1. Instit. de perp. & temp. act. lit. C. Atque hanc Juris Canonici dispositionem, etiam in foro civili receptam esse scribit Vinnius *ad d. §. 1. Inst. de perp. & temp. act. in fin.* Quod tamen non sine ratione in dubium vocat *Dn. Iohann. Otto Tabor d. l. & Racemat. 1. th. 64.*

THES. XL.

Effectus hujus Transitionis est, ut Successores æque ac illi, quibus successerunt, translatis actionibus agere & conveniri possint. Adeo, ut licet lis jam cœpta, ipsæq; actiones in judicium fuerint deductæ, de jure tamen communi nulla litis reassumptio necessaria sit. Nam instantia in causis civilibus cœpta morte litigantium non extinguitur, sed activè & passivè in heredes transit. *l. 33. ff. de fidejussor. l. 78. §. penult ff. ad SCtum Trebell. l. 34. ff. de judic. l. 58. ff. de O. & A Gail. lib. 1. obs. 190. num. 6. Dn. Benedictus Carpzovius lib. 3. tit. 2. Respons. 24. num. 1. & seqq. Casp. Ziegler in comm. conclus. ad auream praxin. Nicol. Calvol. in prælud. de instantia in genere num. 15.* Quod tamen moribus est mutatum. Hodie enim in praxi receptum est, ut heredes ad continuationem processus non admittantur, priusquam litem legitimè reassumpserint. *de quo vide Gail. d. l. 1. obs. 109. num. 9. Dn. Carpzov. d. Respons. 24. num. 5.* ubi simul disputant an bene vel male hoc factum sit. Expresse enim scribit *Gail. d. l* melius fore, magisq; litigantibus expedire, si hæc ipsa processum reassumendi necessitas illis remitteretur. Ita autem Actiones in Successores transeunt, ut regulariter in personis successorum qualitates obligationum & exinde descendentium actionũ nõ mutentur. *l. 2. §. 2. ff. de V. O* paucis casibus exceptis, *de quibus vide l. 1. C. de hered. tut. & curat l. 4 ff de magistrat. conven.* Sic etiam actiones licet sua natura famosæ sint, heredes tamen & similes successores illis condemnati infamia non notantur. *l. 6 §. 1. ff. de his qui notant. infam.* Sed de hisce & aliis pluribus agere, temporis ratio & instantis peregrinationis necessitas non permittit. Hæc itaq; impræsentiarum de nobilissima & per totum jus dispersa Transitionis Actionum materia dixisse sufficiant.

DEO SOLI SIT LAUS ET GLORIA IN INFINITA SECULA.

449

COROLLARIA.

I.

PActum perſonale à principali Debitore initum regulariter prodeſt fidejuſſori.

II.

Libellus alternativus ſubſiſtit quando ex l. 2. C. de reſcind. vendit. agitur; etiamſi læſio fuerit enormiſſima.

III.

In actione hypothecaria libellum alternativum admitti contra ejus naturam à Dd. aſſeritur.

IV.

Non omnes, quibus competit actio realis ad res immobiles, à ſatisdatione ſunt immunes.

V.


Exceptio non numeratæ pecuniæ non tantum in mutui; ſed in aliis quoque confeſſionibus locum habet.

VI.

Doctor Juris, qua Doctor, inſtrumentum conficere nequit.

VII.

Juramentum ab Actore deferri poteſt Reo, licet nihil ab eo adhuc ſit probatum.



F I N I S.